EXERCITATIO IURIDICA
DE
AMISSIONE ET DEVOLUTIONE FEUDI,

QUAM

DIVINO NUMINE CLEMENTER ANNUENTE

SUB PRAESIDIO

Amplißimi & Consultißimi

VIRI

DN. GEORGII WERNERI

I.V.D. Professoris in inclyta Iulia Ordinarij,
nec non Dicasterij Guelpherbytani Assessoris,
Præceptoris Hospitis & Fautoris sui
æternùm devenerandi

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SISTIT

IOHANNES IUSTUS PARTHESIUS
NOHRTHEIMENSIS.

IN NOVO ICTORUM AUDITORIO
Ad diem Septembris

HELMESTADI,
Typis HENNINGI MULLERI
CIↃ IↃ CLI.

NOBILISSIMO
Rerum non minùs Politicarum quàm Bellicarum peritiâ præclaro, maximeq́; strenuo
VIRO
DN. BERNHARDO Oppermann/
Serenissimo ac Celsissimo PRINCIPI
ET DOMINO
DN. GEORGIO-VVILHELMO DVCI BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM, Domino nostro clementissimo à consilijs bellicis, summo legionis Legato, nec non præsidij militaris, quòd est in inclyta Hameliâ, Gubernatori meritissimo, Hæreditario in Flägessen.
VT ET
VIRIS
Clarissimis Amplissimis Consultissimis
DN. FRIDERICO-VLRICO Ledner/
I.V. Doctorando, Hæreditario in Koringen.
DN. IVLIO Berkelmann/ Serenissimi Principis ac Domini, Domini AVGVSTI, Ducis BRUNSVICENSIVM ET LUNEBURGENSIUM Causarum Feudalium Secretario fidelissimo, optimeq́; merito
Promotoribus Fautoribus ac Amicis suis omni observantiæ cultu ætatèm prosequendis

In ulteriorem sui commendationem, & debiti honoris atque amoris testimonium.

D.
Author. R.

CUM DEO.

THESIS I.

PRæcipua juris Feudalis capita, in quibus hujus nobilissimæ materiæ utilitates, & à Romano-Civili jure digressiones maximè conspiciuntur, sunt, quæ de Feudi constitutione, constituti acquisitione, acquisiti jure, & conservatione, & denique de ejusdem amissione tractant. *(a)* Nos inpræsentiarum posterius, quomodo nimirum feudum amittatur *(b)* & ad quem apertum rursus devolvatur, exercitij gratia leviter discussuri, legitimam *(c)* Acquisitionem *(d)* & possessionem *(e)* ejusdem præsupponimus.

(a) *Omne enim ius aut in acquirendo, aut in conservando, aut in minuendo consistit, ut docet* Vlpian. *in l. fin. ff. de LL.* (b) *Et veluti nihil in rebus humanis stabile aut perpetuum est, Nov. 7. c. 2. pr. & in Const. de confirmat. ffорum §. 18. quippe cum omnes res certis modis enascantur & rursus emoriantur; ita quoq; in artibus & disciplinis observatur, ut certæ sint causæ constituentes, & certæ rursus destruentes,* Batter. *in comment. manuscr. ad l. in pr. t. quib. mod. obl. toll.* P. Berens D. *F. 7. pr. Et in iure iisdem fere modis res desinunt esse nostra, quibus acquiruntur, l. 1. ff. pro derelicto l. 153. ff. de R. I. add. l. pen. S. 1. C. de usufr.* (c) *Paria enim in iure censentur, quæ facta non sunt, & quæ facta quidem sunt, sed non legitimè, l. 5. C. de LL. arg. l. 6. ibiq; Gl. & Dd. ff. qui satisd. cog. l. 2. ff. de author. tut.* Vult. *de Feudis lib. 1. cap. 11. n. 1. & 2.* (d) *cum quælibet privatio suum præsupponat habitum, arg. l. 4. ff. de I. & I. l. 7. inf. de cap. min. l. 96. pr. de cond. & demon. & rem amittere non videtur, cuius ea antea non fuit, ex l. 83. l. 208. ff. de R. I.* (e) *Notandum hic tamen est, quod aliquis etiam feudum, cuius possessionem nondum nactus fuerat, in quo sc. expectativam promissam habebat* (dehm eine anwarttung auff ein Lehngut gegeben)

gegeben) *aut simultaneè investitus erat, culpâ suâ amittere dicatur; & si dominus in continenti feloniam commissam probare potuerit, non teneatur, delinquenti feudum promissum cedere.* Henr. Rosenthall. *Synopsi feudali cap. 10. concl. 1. n. 8. & seqq. item concl. 40. n. 3. & seq. p. 10.* Matth. de Afflict. Iacob. de Belvis. & Alvarott. *in comment. ad §. insuper 2. F. 55.* Schoner. *disp. Feud. 10. th. 12. lib. 1. arg. l. 26. ff. de usufr. legat. l. 1. ff. de condict. sine caus. l. 6. C. pactis. int. empt. & vendit. junctâ l. 8. ff. de dol. mal. & met. except.*

II.

Amittere generaliter in jure significat, quamlibet jacturam facere; *(a)* sic res furto nobis ablatas, (b) aut quomodolibet corruptas; *(c)* item possessionem, *(d)* imo etiam id, quod consequi non possumus *(e)* in jure dicimur amittere. In hac autem materiâ *amittere feudum* dupliciter sumitur; vel cum illud prorsus esse desinit; vel cum duntaxat ad eum, cujus antea fuerat ampliùs non pertinet: & hoc quidem casu feudum propriè amitti, illo verò extingui sive finiri dicitur. *(f)*

(a) *item actionem, liberos, virum, litem, & sexcenta alia* (b) *l. 1. C. de re indic.* (c) *l. 4. §. 10. ff. de vi bon. rapt.* (d) *tot. tit. ff. de acquir. vel amittenda poss.* (e) *l. 33. in fin. pr. ff. ad l. Aquil.* vid. Gœddæus *ad l. 14. n. 26. de verb. signif.* Calvin. & Brisson. *lexic. iuridic. verb. amittere* (f) *authoritate ICti* Pauli, *lib. 3. sent. cap. 6. sic accuratè distinguentis circa usumfructum, qui feudo valdè affinis est.* VVesenb. *tract. feud. cap. 15. n. 1. & 2.* Vult. *d. tr. c. 11. n. 3.* Gœdd. *disp. Feud. 9. th. 1. & alii plerique eodem modo distinguunt, quamvis* Rittershusius. *partit. feud. lib. 2. c. 5. n. 1. hanc distinctionem ut superfluam aliquam subtilitatem insuper habeat & promiscuè his terminis uti malit.*

III.

Vasallus autem licet multifariam feudo jure adquisito rursus excidat. *(a)* causæ tamen, ob quas idipsum contingere solet, communiter ad duas has generales classes revocantur; ita, ut vel ob culpam suam & feloniam admissam, vel citra eam beneficium perdat. *(b)* De posteriori quibus modis citra vasalli culpam feudum amittatur, sive accuratius loquendo finiatur & extinguatur, primo loco agemus. Quod quidem necessariò

& indu-

& indubitatò evenit INTERITU ipsius rei sive prædij feudalis (c) casu vel vi majore eveniente (d) ut putà si incendio, Chasmate (e) Terræ motu, inundatione, Occupatione & devastatione hostili (f) similibusvè modis Feudum totaliter consumatur, & evertatur. (g) 1. Interitus rei feudalis.

(a) *Ita ut Zasius non immeritò exclamet: rem esse lubricam Vasallum esse, nec magnoperè expetendam p. 10. n. 69. tract. feud.* (b) Bocerus *p. 2. disp. 20. n. 3.* Gothofr. Anton. *disp. feud. 11. n. 1. & alii fere omnes.* (c) *omne enim ius Vasalli in ipso prædio sive re feudali fundatur, quo exstincto & ipsum ius, huius respectu debitum, tolli quoq; necesse est, arg. pr. Instit. de usufr. quia accessorium suum sequitur principale l. 178. & 128. de R. I. c. accessorium de R. I. in 6.* (d) *argum. ab usufructu §. pen. I. de usufr. & l. pen. ff. quib. m. usufr. amitt. & Emphytensi. l. 1. C. de iure Emphyt. deducto.* (e) *l. 15. §. 2. & seq. ff. locati* (f) *l. 12. §. fin. de reb. author. iud. possid.* (g) Lindeman. *disp. feud. 3. c. 10. th. 4.* Rittersh. *c. 6. n. 9. d. l. 2.* VVesenb. *c. 15. n. 2.*

IV.

Sic etiam feudum, seu potius obligatio feudalis tollitur & finitur. 1. MORTE alterutrius sive Vasalli (a) sive Domini (b) nullum legitimum successorem relinquentis; (c) utroque enim casu contingit consolidatio dominij utilis cum directo, (d) quod quidem non tantum de naturali, verum etiam de civili morte Vasalli, maximam scilicet, sive mediam capitis diminutionem passi, receptum testantur Interpretes. (e) 2. Mors alterutrius.

(a) *Ultimi scilicet existentis illius familia, cui feudum initiò erat concessum; atq; ita plenam in re feudali nanciscitur potestatem Dominus, vers. rursus 1. F. 5. vers. etsi Clientulus 1. F. 13. §. fin. autem 2. F. 9. item 2. F. 12. 18. 28, vers. si vasallus. 34. §. 2. inf. & c. extr. 86. arg. §. fin. & pen. Inst. l. 46. ff. l. 3. §. pen. C. de usufr. l. 18. in f. ff. de castr. pec.* Paulus *3. sent. 6. §. 29.* (b) *Quo casu vasallus heredi extraneo, ut etiam fisco præfertur in feudo, plenoq; & proprio iure rem possidere incipit; atq; hoc in qualicunq; feudo procedere docet* Vult. *d. c. 11. n. 7.* (c) *successorem, intellige, vasalli feudalem; qualis autem ille esse debeat, vide apud* Gothofr. *in not. ad t. 13. F. 2. lit. l. & Feudistas, ubi agunt de successione Feudali* (d) Schon. *d. disp. 10. th. 9. per ibid. allegam.* Mozz. *tr. de feudis. c. ult. n. 2.* Rittershus. *c. 6. n. 3. & alii.* (e) *per l. pen. C. de usufr.*

 Vid. ma

Vid. modò citati Doctores confirmantes idipsum hac ratione; quod feuda non naturali sed civili iure introducta sint, cuius servos & deportatos non esse capaces, aperti iuris est. Paul. Berens *d. disp. 8. th. 1.*

V.

Et cum omnia ferè, quæ in jure civili de servis dicuntur, ad nostri temporis monachos commodè applicari queant, atque etiam hi mundo, & sic civiliter quasi mortui non immeritò æstimentur; (*a*) hinc est, quod hi, qui seculo renunciantes vitam habitumque monasticum assumunt, ad Feudi successionem non admittantur, & si quòd habent amittant: & quamvis hæc ratio cesset in clericis alijs (*b*) tamen & hos indistinctè omnes Feudorum (scil. paternorum) incapaces expressi juris F. textus, (*c*) & unanimis penè omnium Feudistarum sententia pronunciat (*d*) Eò, quod beneficium non pertineat ad eum, qui non debet gerere officium; (*e*) atque, cum hi omnes ex secularibus Christi milites facti sint se, ampliùs mundanis & militaribus negotijs, quæ cumprimis vasallis incumbunt, implicare non debeant. (*f*) Quicquid autem de jure communi sit, contrariam opinionem tàm in Germania quàm in Gallia hodiè prævalere, atque Clericos ad feuda admitti plures testantur. (*g*)

(a) Everhard. à Middelburg *in top. leg. loc. 24.* Calvin. *lex. in hoc verbo per doctrinam* Bartoli *in l. 1. ff. de stipul. serv. &* Baldi *in l. 1. & auth. ingressi C. de SS. Eccles. 2. F. 30. de Feudo Fœm. inf. 2. F. 21. de vasallo milite qui arma bellica deposuit.* Rittershus. *d. c. 6. n. 5. etiamsi habitum religiosum postea deposuerint.* Rittersh. *lib. 1. c. 15. n. 19. per d. c. 2. F. 30.* (b) *in Episcopis, Abbatibus, & nostris Canonicis, Pastoribus & cæteris personis Ecclesiasticis.* (c) *2. F. 26. §. qui clericus efficitur, & c. 2. F. 36. inf. 2. F. 30. 1. F. 21. & c. extr. f. Clericatu feudum amitti.* (d) *Quod quidem ita temperare conantur, ut si per substitutum servire noluerint, hoc rigorosum ius obtinere, si verò per acceptabilem substitutum servitia domino præstare parati sint, feudum eos retinere, arbitrentur, arg. 2. F. 26. §. 5. 2. F. 55. §. firmiter. l. 16. & 21. C. de Episc. & Cler. arg. c. ex transmissa 6. X. de for. comp. cap. verum 7. eod. c. periculoso §. verum de statu Regular. in 6 vid. ap.* Curt. I. *p. 2. m. 2. n. 12.* Vult. *c. 9. n. 67. Nihil autem tale sed illud tantum citati textus probant,*

quod

quod personæ Ecclesiastica, & sic etiam ipsi monachi, arg. 2. F. 3. vers. personam, ibiq. Gothofr. *(ita ut fructus acquirantur cœnobio) aliivè Clerici acquirere quandoq. Feuda possint, gratiam sc. iis faciente Domino. Vnde vulgare illud Feudistarum est: quod laicus scienter investiens Clericum tacitè id agere videatur, ut investitus per substitutum servire possit* Alvar. *in d. c. de F. fæm. in f.* Sonsbec. *p. 7. n. 3.* Borcholt. *c. 5. n. 49.* Schr. *p. 6. de success. descend. n. 23.* VVesenb. *c. 5. n. 2.* Berens *disp. F. 2. th. 25. & seq.* (e) *cessante enim causâ ipse quoq. cessat effectus. arg. l. 68. ff. de R. I. & ubi personæ industria electa est, ibi per alium mandatum expediri nequit.* Rittersh. *l. 1. c. 15. n. 22.* Curt. *p. 3. n. 17. & seqq. add.* Zasius *p. 5. n. 71. & seqq. cui ut per substitutum clericus serviat, idem videtur, ac si furem quis excuset, si per substitutum furetur.* (f) *c. placuit C. 21. q. 3. Necessitas autem bellorum Feuda peperit* Gothofr. *ad 2. F. 36.* (g) *Quod sc. Clerici ad successionem feudi admittantur, nec assumptione clericatus feudum amittant, modò per alium æquè idoneum serviant.* Ioh. Faber. *in §. 1. I. de leg. patr. tut.* Clarus *q. 78. n. 4. & 5.* Schr. *p. 4. c. 2. n. 3.* Menoch. *cons. 121.* Lindem. *disp. F. 1. n. 80.* B. Schenck *in t. 21. F. 2. n. 8. ibi: quod fortuitæ conceditur calamitati, cur idem denegetur pietati? &c.* Gudelin. *de feud. p. 2. cap. 2. n. 9.* Hanneton. *de feud. iur. lib. 2. c. 3. num. 7.* Dn. Richter *tr. de success. ab intest. sect. 1. membr. 1. n. 20. & seq. Id quod iure Saxonico novissimo ex peculiari constitutione Augusti Electoris expresse etiam ita sancitum est, part. 3. constit. 28. ubi vid.* Moller. Carpz. Berlich.

VI.

Feudum quoque *ob inhabilitatem* h. e. insigne corporis vel animi vitium finiri; & mancum atque imperfectum, mutum, puta surdum, cæcum, claudum, furiosum, vel aliter servitijs præstandis inidoneum à feudo excludi, vetus & communis Feudistarum opinio est: *(a)* quam tamen variè limitant, ut sc. non procedat. 1. Si vitium sit accidentale nullâ Vasalli culpâ contractum; 2. si sit curabile; 3 si duntaxat balbutiat, surdaster vel monoculus sit, paulisper claudicet, per intervalla mente captus, aut feudum ad certum servitium datum sit, quod etiam mancus expedire queat; 4. vel dominus sciens prudens ipsum investierit: *(b)* sed hodiè, modò istiusmodi Vasallus 4. Inhabilitas animi aut corporis.

per

per alium idoneum suum officium faciat, istas ob causas neminem facilè feudo suo spoliari, (c) testatur experientia. (d)

(a) *text. inf. 1. F. 6. 2. F. 36. An mutus vel alius imperfectus feudum retineat? & ibi interpp. communiter. Quod tamen ita obtinere volunt, ut si feudum magnum & fructuosum, Vasallus verò inops fuerit, tantum ex eo ipsi sit suppeditandum, unde honestè se alere valeat. per text. 1. f. 6. & ibi.* Gothofr. Alvar. Schenck Matth. de Afflictis. (b) *quas limitationes recensent & approbant,* Zas. *p. 8. tr. Feud. n. 68.* Curt. Iun. *p. 3. membro. 1. n. 8.* Duar. *c. 9. comm. Feud. n. 15.* Schr. *p. 7, c. 5. n. 32.* Rosent. *p. 7. concl. 27.* Borcholt. *c. 7. p. 2. n. 63.* Schned. *p. 6. de succ. F. n. 32.* Arum. *disp. F. 3. th. 43. Primam autem alii non admittunt, nisi vitium sit sanabile,* Sonsbec. *p. 12. n. 133.* VVesenb. *c. 6. n. 28.* Ludvvel. *tr. F. c. 9. in f.* Vult. *c. 9. n. 63. & seq.* (c) *ex sententia Oberti, Gerardi & multorum aliorum d. t. 36. F. 2. & hoc in feudis Regalibus quoq; obtinere putat* Borcholt. *d. l.* (d) *atq; hoc æquitati magis consentaneum videtur, cum afflicto non debebat addi afflictio; æquitas autem inter Dominum & Vasallum maximè considerranda,* Pistor. *quæst. iur. p. 2. q. 32. n. 28.* Schon. *lib. 1. disp. 10. th. 124. per §. 2. vers. prædictis 2. F. 24. & rigori iuris præferenda est; aliàs nec impubes, nec senio confectus, cum uterq; servire non valeat, feudum retinerent.* Hotoman. *ad §. 3. mutus. 2. F. 6. quem sequitur.* Pistor. *d. l. arg. l. 44. §. 6. ff. de usucap.* Rosenthall. *c. 7. concl. 27. n. pen. & f. in glos. lit. T. & conclus. seq. n. 16. & seqq. & in gloss. lit. S. ubi probat, quod imperfectus, si servitia debita etiam personalia per alium præstet, modò talia sint, ut per substitutum explicari possint, iure suo non excidat. add.* Vult. *d. l. n. 64. in f.* Rittersh. *lib. 2. c. 6. n. 10.*

VII.

5. Temporis lapsus. Nec dubius feudalis obligationis tollendæ modus est *temporis* in prima constituentium conventione determinati (a) *lapsus*; quod in feudis improprijs pro mercede constitutis annuum esse solet: (b) quædam tamen etiam ad vitam vel Vasalli (c) vel alterutrius, (d) conceduntur. In feudo Cameræ & Cavenæ hoc præterea singulare est, quod, si citra promissoris culpam, nil in ijs supersit, cesset quoque solutio, & Vasallus expectare teneatur, donec Dominus rursus de illa, ipsa Camera vel Cavena solvendo esse incipiat. (e)

(a) *Quia*

(a) *Quia leges & conditiones ab initio contractibus adjectæ meritò servari debent.* *l.1.ff. de pact. l.10. C. eod. l.23.ff. de R.I.* (b) *cujusmodi feudum est Guardia, Guastaldia 1. F.2. ibiq;* Alvar. Schenck *& alii: huc etiam referunt Feudum Advocatiæ, Cancellariatus 2. F.27. §.8.* Gothofr. *in not. ad t.2. F.1.* Borcholt. *c.4. n.31.* Schoner. *disp.1. th.74. & seqq. neq; si vasallus tale feudum emisset, Dominus teneretur ei pretium pro eo numeratum restituere d.c.un.1.f.2. & c. un. de feud. pign. dato.1.f.11. ibiq;* Gloss. *& Dd.* Zas. *p.12. n.11.* (c) *Morte accipientis tantum finitur feudum Habitationis 2. F.75. & 105. per l.10. §.3.ff. de us. & hab.* (d) *sive dantis sive accipientis finitur F. Soldatæ & de Camera & Cavena §. fin. 2. F.10. sic etiam morte dantis finitur feudum, quod Dominus ad suum beneplacitum concessit.* Schrad. *p.2. c.4. n.33. arg. l.4. ff. Locati c. si gratiose. 5. de Rescr. in 6.* (e) *2.f.58.* Zas. *d.l. num.31.* Sonsbec. *p.5. n.f.* Borcholt. *c.4. n.31.* Schrad. *c.4. n.74. & p.5. c.6. n.20. Dare autem posse Dominus intelligitur, omni ære alieno deducto 2. F.58. pr. ubi* Gothofr. *rationem addit.*

IIX.

Tum etiam ipso jure obligatio feudalis & ita ipsum quoque feudum finitur partium in contrarium mutatâ voluntate; *(a)* eaquè vel Expressâ, quæ fit per *Refutationem, & Remissionem*: *(b)* Sciendum namque est, in potestate vasalli esse, quandocunq; velit feudum *(c)* renunciare & à se abdicare, *(d)* sive Dominus consentiat, sive non; *(e)* idque vel proximo suo agnato *(f)* sibi aliàs post mortem in feudo successuro, vel etiam ipsi Domino, *(g)* modò hoc casu etiam agnati, si feudum antiquum sit, consentiant, *(h)* cedere. 6. Refutatio.

(a) *arg. l.35. 100. & 153. ff. de R.I. §. fin. I. quib. mod. obl. toll. confer.* Rittersh. *l.2. c.2. n.20. qui tradit, quod eadem solennitates, quæ in investitura intervenerant, in contrarium actæ adhiberi in tali resignatione debeant* (b) *text. in c.un. qual. clim. 2. F.9. c. un. de vas. decrep. et. 2. F.14. c. un. 2. F.38. 2. F.44. in f. 2. F.49.* (c) *vel totum, vel partẽ,* Cujac. *l.2. F.14. sive feudũ rectum, sive conditionatum & ad certa servitia datum fuerit.* Curt. *p.4. n.138.* Zas. *p.10. n.86.* Borch. *c.8. n.53. in f. modò, ne id dolosè aut intempestivè, inq; domini injuriam & damnum fiat.* Mozz. *d.c.f. n.8.* Sonsbec. *p.12. n.77.* Clarus *q.34.* (d) *Nemo enim beneficium accipere vel retinere cogitur invitus, &*

quilibet iuri pro se intro ducto potest renunciare, eóq; non uti, l. 51. C. de Episc. & cler. l. 69. l. 156. §. f. de R. I. l. 19. §. 2. ff. de donat. l. 46. de Pactis l. 41. de minor. l 71. ad L. Falc. (e) *d. c. un. de vasallo, qui contra & c. 2. F. 39.* Zasius *p. 10. n. 53.* VVesenb. *c. 15. n. 5.* Goedd. *d. disp. 9. th. 2. lit. B.* Mynsing. *cent. 5. obs. 65. Non tamen vice versâ Dominus etiam vasallo pro lubitu suo, & sine iustâ legibusq; probatâ causâ renunciat, feudumq; aufert, 1. F. 7. arg. l. 5. C. de O. & A.* (f) *Remotioribus autem agnatis non fit refutatio, nisi proximioribus consentientibus, atq; si facta iis fuerit, poterit proximus illam, mortuo vasallo refutante revocare, per text. 2. f. 26. §. Titius filios: & ita Cameram Imper. decidisse scribit* Rosenthall *cap. 9. conclus. 52. n. 14. & seq.* (g) *Atq; ita fit consolidatio dominii directi & utilis, arg. l. 40. & 64. de usufr. l. 66. de I. dot. Idem fit quando Dominus iuri suo proprietatis renunciat, atq; vasallo fidelitatem & servitia remittit.* Vult. *de feud. cap. 11. n. 9.* (h) *His enim non minus quàm vasallo possidenti ius in eiusmodi feudo ex prima statim investiturâ quaesitum est, quod ipsis invitis nemo potest auferre. arg. l. 11. de R. I. 2 F. 39.* Iul Clarus *§. feudum. q. 34. n. 3. ubi in not. idem extendit ad filios refutantis. per* Ceph. *cons. 29. n. 2. Valet tamen Refutatio agnatis irrequisitis facta quoad ipse refutans vivit.* Sonsbec. *p. 12. n. 123.* Schenck *in d. t. 38. F. 2. circa finem.* Borcholt. *d. l. n. 54.* Rosenthall *conclus. 52. & 67. p. 9. add.* Vult. *c. 10. n. 74. & seqq. 11.* Rittersh. *lib. 2. c. 2. n. 20.* Mynsing. *cent. 6. observ. 23.*

IX.

7. Praescriptio libertatis. Vel etiam Tacitâ & praesumptâ, *Praescriptione* nimirum *libertatis.* Quando enim vasallus possessor requisitus servitia vel realia vel personalia Domino exhibere bonâ fide (*a*) recusaverit, (*b*) & à tempore factae denegationis triginta anni elapsi fuerint, praedium feudale liberum, & ex feudo allodium redditur (*c*) Et è contrariò, cum vasallus Dominum feudo per longissimum tempus uti frui passus fuerit, ususfructus sive ius vasalliticum eodem modo exstinguitur, (*d*) & Domino feudi acquiritur, atque sic utroque casu, consolidatione factâ, feudum interit; in posteriori tamen casu hoc notabile est, quod istiusmodi vasalli negligentiâ causata praescriptio agnatis non praejudicet (*e*)

(a) *Si scilicet successor defuncti vasalli probabiliter ignoraverit*

aut

aut non crediderit rem esse feudalem; nec enim dubium est, malam fidem uti in aliis ita etiam in feudis præscriptionem impedire. Rosent. *p. 6. concl. 82. secundum iuris Pontificii, quod in hac materia sequimur, dispositionem in c. 2. de R. I. in 6. c. vigilanti 5. & ult. X. de præscript.* (b) *Non autem currit præscriptio, licet quis pluribus annis investituram non petierit, vel nulla servitia præstiterit, nisi de illis præstandis interpellatus quoq; fuerit: quod alii limitant, ut sufficiat ad præscribendum, si constet, Dominum vasalli servitiis indiguisse, nec tamen ipsum fuisse vocatum.* Duaren. *c. 16. n. 4. & 5. arg. t. 21. F. 2.* Schrad. *p. 6. c. 6. n. 62. &* Rosenthall *d. conclus. n. 1. & 17.* Bocer. *p. 2. disp. 20. th. pen.* (c) *ut enim tanto tempore feudum acquiritur §. si quis 2. F. 26. ita etiam rursus amittitur, arg. l. 35. ff. de R. I. l. 153. eod.* Vult. *d. c. 11. n. 10.* VVesenb. *d. c. 6. n. 3.* Gœdd. *d. D. 9. n. 2.* Rittershus. *lib. 1. c. 18. n. 12. & Dd. communiter* (d) Goth. *ad d. §. 4. 2. F. 26. lit. O.* Zas. *p. 6. n. 33.* Mynsing. *cent. 7. observ. 28.* Borcholt. *p. 7. de præscript. n. 11.* Alvar. *n. 5. &* Schenck *n. 6. in d. §. si quis per 30. annos. 2. F. 26. huc facit, quod res facilè ad suam naturam redeant, l. 27. §. 2. inf. ff. de pactis: confer.* Bocer. *tr. de præscr. F. c. 2. q. 53. & seqq.* (e) *quia vivô vasallo illis agere ad feudum non valentibus, arg. §. donare 2. f. 9. §. Titius filios. 2. F. 26. 2. F. 31. & 37. præscriptio non potest currere. l. 15. §. non autem. C. de annali except. l. 1. ff. de div. & temp. præscr. iunctâ l. 22. C. de pœnis. neq; alterius factum nocere. l. 11. l. 74. l. 155. d. R. Iur.*

X.

His modis quibus vasallus absque culpâ suâ feudo excidit à quibusdam adhuc alij adduntur ut, 1. *Evictio* (*a*) 2. *Bonorum cessio,* (*b*) 3. *Supervenientia liberorum,* non sperata tempore infeudationis (*c*) 4. Quando Dominus infeudatum allodium suum *Ecclesiæ donaverit*, quo tamen casu, ut etiam primo tenetur vasallo aut solvere id quod interest, aut aliud concedere feudum ejusdem qualitatis & bonitatis. (*d*) An autem & quatenus his quatuor & similibus modis feudum vasallo auferatur, vide apud Dd: (*e*) his enim pagellis hæc omnia latè & accurate pertractare ratio instituti non permittit.

(a) *Quam tamen Dominus vasallo præstare tenetur, sive sciens sive ignorans de re aliena ipsum investierit, text. & Dd. in c. un. d. invest. de re aliena. 2. F. 8. ibiq;* Gloss. *2. F. 46. nonnullis casibus exceptis,*

 ptis,

ptis, quos habet Borch. c. 9. n. 13. & seqq. VVesenb. c. 7. n. 7. (b) Vasalli minirum, quod tamen non nisi cum distinctione admittunt, de quo vide remissive Schrad. p. 9. c. 10. n. 4. Rittershus. d. c. 6. n. 11. & seq. (c) Si sc. feudum magni pretii fuerit, Matth. de Afflict. ad §. ult. quib. mod. feud. amitt. 1. f. 5. arg. l. si unquam 8. C. de revocand. donat. Schneidevv. epit. Feud. p. 8. c. 1. n. 190. quæ quidem opinio de æquitate, non verò de iure admittenda videtur, Ros. c. 10. concl. 11. n. 25. & seq. limit. nisi per gratiam Ecclesiæ tanquam de novo receperit. Schr. d. l. n. 5. Tiraq. ad d. l. si unquam verbo donatione largitus n. 34. (d) 2. F. 54. & ibi Hotom. Schenck d. t. & 2. F. 8. pr. n. 3. Moz. d. c. fi. n. 122. vers. Tertia (e) iam citatos.

XI.

Tantum de modis finiendi. Nunc de *causis culposis*, argumento nostro principali, acturi, non immeritò præmittimus regulam toties in libris feudorum repetitam, *Feudum legitimè constitutum & acquisitum non posse vasallo rursus à Domino sine iustâ (a) h. e. gravi morbusq; probatâ, eâq; convictâ causâ eripi; (b) imò nec ullo modo minui aut deteriorari: (c)* qualecunque denique feudum fuerit; *(d)* adeò autem hoc obtinet, ut nec ipse Imperator vel Pontifex vasallum culpâ vacantem disvestire, *(e)* nec etiam illud, quod Antecessor *(f)* ipsorum primus concessit feudum, rursus adimere jure queat, nisi summa Reip. utilitas & necessitas id evidenter requirat. *(g)*

(a) *1. F. 7. de natura feudi. t. 21. de feudo sine culpa non amittendo & tit. seq. §. sancimus. it. §. & quia vidimus tit. 1. F. 1. ubi quod olim secus fuerit, & omnia feuda temporaria fuerint, & pro lubitu Dominorum auferri potuerint, edocemur.* (b) *Nec attenditur, si forte alius ipsi postea meliorem conditionem afferat, vel an Dominus ipse propter supervenientem necessitatem & inopiam re alteri in feudum concessâ indigeat;* Schr. *tr. feud. p. 5. c. 6. n. 33.* (c) *ius vasalli legitimè quæsitum neq; in totũ, neq; ex parte Dominus eidẽ potest auferre, arg. l. 20. ff. de Rei vind. l. 28. in f. ff. de testam. mil.* Everh. à Middelb. *in loc. leg. 8. à toto ad partem.* Rosenthall *c. 10. concl. 11. n. 6. & seqq. & in Gloss. lit. G.* (d) *sive novum s. antiquum, sive successione s. præscriptione s. alio quovis modo acquisitum, proprium s. improprium.* (e) *ne quidem ex plenitudine potestatis suæ. arg. l. 2. & 7. C. d. prec. imp. offer. l. 6. C. unde vi.* Schenck.

in c.

in c. de nat. feud. & in §. fin. t. 1. F. 5. n. 6. & seqq. Borch. *c. 8. n. 2.* Lindem. *disp. 3. c. 10. n. 6.* Clarus *q. 19. n. 1.* P. Berens *d. disp. th. 2.* *Principi quippe tantum honesta possibilia esse putamus, c. scelus C. 2. q. 1. c. Regum 23. C 23. q. 5.* (f) Alvar. *ind. c. d. nat. feud. n. 3.* Rosent. *d. l. n. 9.* (g) *quo casu tenetur ad interesse, vel simile praestandum, v. Dd. modo citatos.*

XII.

Culpa hîc autem pro omni delicto, quo quis feudum amittit, (*a*) sumitur, quae speciali nomine Felonia (*b*) aliàs etiam ingratitudo dicitur. (*c*) Notandum verò est, quod delicta & causae istiusmodi, quae feudi privationem merentur plurimae, nec omnes, sed praecipuae & frequentiores in jure definitae sint; quippe, quae nec certae regulae includi, aut generali definitione comprehendi propter varietatem circumstantiarum potuerint. (*d*) In casibus itaque novis, (*e*) & in jure non expressis solers & discretus, & aequitati obsecundare sollicitus judex cuncta subtiliter dispensans (*f*) providebit, si qua fuerit expressis f. antiquioribus causis similis, (*g*) sive major, ut proinde sciat, utrum beneficium sit amittendum, vel retinendum? (*h*)

(a) *1. F. 21.* Zas. *p. 3. n. 2.* Vult. *d. c. n. 11. & 17.* Schoner. *d. disp. th. 11.* (b) *Vox Longobardica, à Germ. vocab.* fehlen *deducta, denotat quodvis capitale facinus, perfidiam & improbitatem. Germ.* ein Schelmstück. Gothofr. Ant. *disp. F. 9. th. 1. lit. D. hodiè id huic materiae proprium vasalli vel etiam Domini dolum & perfidiam amissione feudi vel proprietatis coercendam significat. 2. F. 24. 1. F. 17. 2. F. 55. §. fin. 2. F. 26. §. si Domino & t. 47. qualit. Dominus propr. ibiq; Dd.* Goeddaeus. *disp. Feud. 9. th. 3.* Calv. *lexic. Iurid. hoc verbo.* Rittersh. *c. 5. n. 2. inf.* Niell. *disp. F. 8. th. 1. lit. B.* Borch. *c. 2. n. 17.* Rosenthal *c. 10. pr.* (c) *2. F. 23. in quib. mod. feud. am. & alibi passim* (d) Obert. *in d. c. in quib. mod. f. am. 2. F. 23. ibiq;* Gothofr. & Schenck. *quod ita à Feudistis prudenter factum laudat.* Bachov. *in not. ad VVesenb. t. de lib. & posth. n. 4 verbis, sed an praeter illos, inf.* (e) *multas enim formas novas natura deproperat edere, Const. de Conf. ff torum. 1. §. 18.* (f) *l. 38. ff. de R. V. l. 13. §. 1. ff. de annuis leg.* (g) *similis enim culpa similem poenam exigit, l. 12. & seq. ff. de LL. Iung. l. 3. & 4. eod. arg. l. 7.*

§. 2. ff. de Iurisd. l. 11. ff. de præscript. verbis. 1. F. 17. (h) *text. expr. in d. t. 24. §. 2. inf.* Duar. *c. 14. n. 25. ideoq. causarum feudi amittendi diiudicatio arbitraria est,* Gothofr. *ad d. c. 23. F. 2. lit. B.* Menoch. *lib. 2. Arbitr. iud. quæst. cent. 3. cas. 266. n. 2. & casu seq. n. 2. & 7.* Schon. *d. l. th. 14. & 15.*

XIII.

Illud enim certum est, quod non ex omni causa, ex qua vasalli opinio gravatur, (*a*) nec ob quamlibet ingratitudinem, (*b*) sed tantummodò eam, quæ egregia h. e. gravior & atrocior (*c*) est, beneficium amittatur. Quæ autem talis sit, & tàm grâvem pœnam (*d*) mereatur, judex ex ratione sive honestate naturali, & bona curiarum consuetudine (*e*) æstimabit, (*f*) qui in dubio pronior esse debet ad absolvendum quàm ad condemnandum. (*g*)

(a) *Ita ob violationem fidei & periurium vasallus feudum non perdit. 2. F. 24. §. illud: de similib. simile fiat iudicium* (b) *2. F. 23. versu, de illa tamen. ibiq.* Gothof. Schenck Alvar. *& alii, nec enim ad hoc sufficit omnis occasio, per quam fidelis accepti beneficii videtur ingratus, ib.* Feudista. (c) *2. F. 24. §. 2. ib. si alias graves aut inhonestas iniurias. & versu prædictis, & vers. illud. ibid.* Schr. *2. p. 9. pr. sect. 7.* Duar. *c. 14. n. 1. in com. de Feud.* Zas. *p. 10. n. 64. & seq.* (d) *quæ vasallum suo dominio & omni iure, quod in re feudali habet, exuit, unde has causas difficiles & periculosas Dd. vocare solent.* Rof. Schon. *d. ll.* (e) *Circa hæc notanter monent quidam interpretes, quod hodiè in curiis Germaniæ non facilè soleat ex causis etiam iure Feud. expressis (intellige quibusdam levioribus) ad privationem feudi pronunciari, quin potiùs aliam pœnam carceris, vel pecuniariam pro ratione admissi applicandam esse, quàm ad hoc extremum & asperrimum remedium perveniatur, quo veluti putridum membrum ex curia vasallus prorsus reiicitur; ita* Rittersh. *lib. 2. c. 5. n. 4. &* Vult. *d. c. n. 50. conqueritur, quod vasalli nostri temporis libertate sua abutentes, huiusmodi pœnarum fulmina non admodum reformident.* (f) *2. F. 23. vers. Quomodo* (g) *2. F. 28. vers. adhæc. arg. l. 9. 56. & 192. §. 1. de R. I. l. 155. §. 1. eod.* Zas. *d. l. & communiter. Dd.*

XIV.

Q. Sed hic quæstionis est; An ob causas justæ exhæredita-

tionis

tionis divortij ac repudij, revocandæ donationis, item libertatis, jure civili expressas (a) semper quoque feudum amittatur? Quod quidem alij simpliciter & indistinctè affirmant; (b) nos potiùs negandum id putamus, præterquam in casibus ubi insignis (c) committitur ingratitudo, & quidem talis, quæ respectu vasalli & Domini commodè applicari (d) possit, nec in jure Feudorum ejusque rationibus contrarium sit dispositum. (e)

(a) *Nov. 115. Tit. C. & ff. de revoc. donat. de ingrat. lib. & libert. de divort. & repud.* (b) Zas. *p. 10 n. 23.* Sonsbec *p. 12. n. 34. per vers. prædict. in 2. F. 24. & alij plures, quos recenset & refutat* Rosenth. *c. 10. conclus. 13.* Rittersh. *d. c. 5. n. 3.* Vult. *d. c. 11. n. 13.* Schön. *d. l. n. 17.* (c) *similis quæ sit sive major iis, quæ in jure Feudali sunt expressa.* (d) *Multæ namque causæ exheredationis, cumprimis autem divortio locum præbentes huc nullo modo applicari possunt; nec enim eadem est ratio & respectus inter Dominum & vasallum, quæ est inter maritum & uxorem, patrem & filium, patronum & libertum.* Rosenthall *c. 10. conclus. 10.* (e) *sc. quod feudi privatio propterea non habeat locum; scilicet de jure Canonis propter omne homicidium & adulterium solvatur matrimonium l. 8. C. de repud. feudum tamen non, nisi in certis atque prohibitis personis tale quid admissum sit, committitur 2 F. 37. 2. F. 24. §. rursus. Vasallus impune Dominum suum in judicium vocat, non verò filius & libertus patrem atque patronum; filius pro patre non fidejubens rectè exheredatur, non tamen vasallus feudo cadit, si idem pro Domino facere recuset &c.* Curt. Iun. *p. 4. n. 77.* Duar. *c. 14. n. 25.* Schr. *p. 9. c. 9. n. 24.* Vult. *d. c. n. 13.* Niell. *diss. F. 8. th. 2.* Finckelth. *diss. F. 10. th. 6.*

XV.

Porrò frequentiora & insigniora delicta, feudi amissione digna, ab alijs plura, ab alijs pauciora recensentur. (a) Quotquot Culpa vel
autem illa, & quantumvis diversa sint, tamen ad hæc duo ge- Commissionis, vel
neralia membra à plerisque commodè revocantur, ut nempe Omissionis
dicantur vel Commissionis, vel Omissionis: (b) hæc, cum ea, est.
quæ fides data & officij necessitas exigebat, non fiunt; (c) illa, cum non facienda perpetrantur. (d)

(a) *De his vid.* Rittersh. *d. l. c. 5. n. 2.* (b) Gloss. *& Dd. l. si mora*

si mora 9. ff. solut. matrim. arg. l. 91. ff. de v. obl. l. 121. de R. I. Bocer. *class. 5. disp. 20. th. 7.* Geil *2. de pac. publ. c. 6. n. 2.* VVesenb. *d. c. n. 4. & 5.* Moz. *c. f. n. 19.* Schon. *d. l. th. 19. &* Gœdd. *disp. d. th. 1. lit. C. & Dd. communiter.* *Quicquid nimirum sive ex consuetudinibus communiter in omnibus locis, sive peculiariter in illa curiâ, ubi feudum est (hæ autem prioribus illis derogant) receptis, sive etiam ex pacto singulari in investitura adiecto præstari oportet. 2. F. 6. 4. 7. t. 24. vers. sed non est alia.* Vult. *lib. 1. c. 11. n. 11. & c. 10. praeced. n. 2. 3. & 4.* (d) *Atq; hæc illis sunt maiora & graviora, & propriè delicta atq; crimina dicuntur, arg. l. 40. ff. de pœnis l. 121. ff. de R. I. l. qui autem 6. pr. ff. quæ in fraud. credit.* Iacob. de S. Georg. *summar. ad quæ servit. n. f. p. m. 225.* Schonerus *disp. d. th. 19.* VVesenb. *d. l.* Rosent. *d. c. 10. pr. & in gl. sub. f.*

XVI.

Culpa Comiss. subdividitur.

Culpæ in Committendo consistentis species primùm vidimus; perpetratur autem eadē vel 1. in ipsum Dominum, vel 2. in Extraneos, (*a*) qui nec potestati nec affectui Domini subjecti sunt, illud fit per quodcunq; improbum (*b*) factum, (*c*) quo dominus graviter offenditur, & istiusmodi delictum Feudale, sive Felonia propriè dicitur. (*d*) Fit autem idipsum rursus vel immediatè & directò, ipsam Domini personam (*e*) lædendo, (*f*) vel mediatè, & per consequentiam in rebus & possessionibus Domini, aut in ipsi conjunctis personis. (*g*)

(a) *& quidem vel in singulos vel in universos, sive in aliquod collegium aut Remp.* (b) *Vasallus pœnam privationis non incurrit, nisi dolosè, scienter & ex proposito male quid admiserit 1. F. 5. ib. sciens 1. F. 17. ib. scienter. 2. F. 5. 2. F. 51. §. si voluerit 2. F. 24. §. 2. ibi dolo, negligentia vel fraude. arg. l. 3. §. 1. ff. de iniur. l. 1. C. ad l. Corn. de sicar. l. 53. ff. de furtis. (in omissionis culpâ negligentia sola quandoq; sufficit. d. t. 24. §. 2. ibi. negligentiâ.* Rosent. *conclus. 12. n. 3.* Schrad. *2. p. 9. pr. sect. 7.) Excusabitur itaq; Vasallus si iusto metu vel vi adactus, si ex errore & ignorantiâ, non tamen supinâ aut affectatâ dominum offenderit.* Rosent. *concl. 20. n. 60. & seqq. & concl. 12. n. 10.* Schneidevv. *p. 8. c. 1. n. 111. de Feudis.* Clarus *q. 81. n. 1. & 2. Item si dolo vel culpâ Domini deliquerit* Curt. Iun. *p. 5. n. 6. & seq.* Schon. *d. l. th. 24.* (c) *Nec ad hoc sufficit nudum propositum, lædendi aut delinquendi voluntas,*

nisi ad

nisi ad actum quoq; & effectum aliquem deductum fuerit, d. §. si voluerit 2. F. 51. arg. l. 18. ff. de pœnis. Cujac. *lib. 4. F. t. 62.* Schrad. *p. 4. c. 4. n. 47.* Rosent. *c. 10. concl. 17. n. 12. & 13. & d. concl. 20. n. 53. & seqq.* (d) Gœdd. *d. disp. F. th. 3.* Rosent. *conclus. 12. n. 5: priora autem omnia sunt ex genere eorum, quæ in iure civili publica vocantur, de quib. infra pluribus.* (e) *quæ vasallo sacrosancta esse debet, non minus quàm Patroni servo. l. 9. ff. de obseq. par. & patr. præst.* Rosent. *d. l. n. 50.* (f) *in corpore vel honore. Circa hæc præterea notandum est, quod in facto illicito dolus semper præsumatur, nisi vasallus imprudentiâ, non ex proæresi tale quid factum fuisse, probare possit; si vero indifferens fuerit, agenti incumbet probatio, arg. l. 5. C. de iniur. ibiq;* Gloss. & Perez. *in C. d. t. n. 1. iunctâ l. 42. de V. S.* Lindem. *d. c. 10. th. 11. per l. 51. ff. pro socio.* Schrad. *2. p. 9. p. pr. sect. 12. n. 14. & aliq. seqq. & Doctores communiter.* (g) *arg. §. 1. Instit. 1. §. 1. ff. de iniur.* P. Berens *d. disp. th. 14.*

XVII.

Primò itaque contra Dominum ipsum immediatè delinquitur, & felonia gravissima committitur, si vasallus vitæ Domini sive veneno sive gladio alijsve modis nefarijs insidiatus fuerit, (*a*) etiamsi effectus insidias non sequatur, Dominoque nihil inde damni inferatur; modò quantum in se erat, actum implere molitus fuerit: (*b*) secus est, si in nuda cogitatione perstiterit, (*c*) vel anteqvam actum perficeret, (*d*) pœnituerit; modò tamen sponte destiterit, non impeditus, nulla difficultate & periculo absterritus, nullâque necessitate coactus; (*e*) imò etiamsi jurasset contra Dominum, & ultrò, pænitentiâ ductus, non processisset, (*f*) hanc rigidam privationis pœnam non incurrit. (*g*) **Insidias vitæ Domini pa[r]cans.**

(a) *2. F. 24. §. 2. vers. porrò. 1. F. 5. vers. si Dominum assalierit. 2. F. 57. ibiq; interpretes.* (b) *per cit. text. & §. si voluerit 2. F. 51.* Zas. *p. 10. n. 27. in f.* Alvar. Bald. *in d. §. si voluerit, &* Matth. *de* Afflict. *n. 42. arg. Nov. 115. c. 3. vers. 3. Insidiæ enim Domino factæ habentur pro delicto consummato & perfecto, tum homini insidiari sit nefas, & maximè odiosum : cit: Anth. arg. l. 7. C. ad L. Corn. de sicar.* Rittershus. *eleg. in d. c. 5. n. 5. sic etiam in alijs criminibus atrocioribus attentatio sola punitur; & non exitus, sed pravus conatus &*

 volun-

voluntas spectatur. l. 14. ff. d. t. l. quisquis 5. C. ad l. Iul. mai. l. 1. ff. de extr. crim. Sonsbec. *p. 12. n. 38. vers. quod tamen im.* Cujac. *l. 15. O. 25.* Schrad. *p. 9. c. 4. n. 26. vers. quod itaq; adeò. arg. l. 1. §. si rem 25. ff. depositi. l. 65. ff. de furtis & d. ll.* Gothofr: Clarus *lib. 5. §. fin. q. 92.* (c) *quia nemo cogitationis pœnam patitur. l. 18. ff. de pœn. & d. §. si voluerit, ibi: si non laboraverit, nec actus cujusvis, nisi vim sapiat, aut insidias.* Vult. *n. 20.* (d) *re adhuc integrâ.* (e) *arg. l. 19. C. ad l. Corn. de fals. & d. §. si voluerit, ibiq;* Schenck *& alii interpretes, puta si implere delictum potuisset.* Rosenthall *concl. 17. n. 21. & 27. & in gloss. lit. S. & Y.* Hotom. *ad d. §. si voluerit, ibiq;* Gl. Cujac. *8. observ. 22.* Menoch. *de arbitr. ind. quæst. l. 2. cas. 360.* Gothofr. Ant. *disp. F. 11. th. 3. lit. A.* Borcholt. *d. c. 8. n. 92.* (g) *modò revocaverit, & pœnitentiam suam Domino factis aut verbis declaraverit; sed si cum aliis in necem domini conspiraverit, licet sine iuramento nudo pacto id factum, nec ulterius processum fuerit, feudo sine spe veniæ excidit.* Curt. Iun. *p. 4. n. 36.* Zas. *p. 10. n. 39.* Rosent. *d. l. n. 16. & seqq. & n. 37. & 38.* Rittersh. *d. l. n. 5. in fin.*

XIIX.

Graviter Dominum injurians. 2. Idem obtinet, si injuriâ aliquâ graviori, sive reali sive etiam verbali Dominum affecerit, *(a)* cum nempè vulnerando, percutiendo, *(b)* famam ipsius suggillando, & honorem debitum commaculando; sive id verbis, sive scripto, s. picturâ, sive aliquo facto probroso, *(c)* vel absenti vel præsenti, *(d)* tectè vel apertè fiat. *(e)* Vnde autem injuriæ gravitas & levitas æstimanda sit, judex discretus tàm ex jure communi quàm consuetudine suæ curiæ dijudicabit. *(f)* Hic disquiri solet; An, qui manus tantum quasi percussurus levaverit, aut domino, stricto ense, mortem minatus fuerit, si ab actu, quem ita minabatur, ac implere poterat, spontè destitisset, pœnam privationis incurrat? Nos negativæ, ut mitiori & communiori opinioni subscribimus. *(g)*

(a) *vers. Porrò, §. 2. t. 24. F. 2. ibiq;* Matth. *de* Afflict. *& alii: huc pertinent verba iuramenti: quod tu recipias tua in persona aliquam læsionem, item vel iniuriam, vel contumeliam vel quod amittas aliquem honorem, 2. F. 6. & 7. quod etiam extenditur ad filium, uxorem, imò etiã confœderatos & domesticos domini, d. t. 7. ibi tuorumq; iniuriam.*

iniuriam. Intrigliol. *q. Feud. 89. n. 68.* Mozz. *d. c. f. n. 25.* Borch. *c. 8. n. 110.* Lindem. *d. l. th. 20.* (b) *plures modos, quibus istiusmodi realis iniuria infertur v. apud* Schneidevv. *p. 8. c. 1. n. 94. & seqq.* Rosent. *d. conclus. 20. n. 59.* Schrad. *p. 9. c. 4. n. 23. 28. & seqq.* (c) *hi enim modi sunt præcipui ac frequentiores, ad quos cæteri restringuntur.* (d) *l. 15. §. 7. ff. de iniur.* (e) Harpr. *ad l. d. t. §. 1. n. 140.* Clarus *§. iniuria n. 7.* P. Berens *d. l. th. 19. idem obtinet in foro Saxon. art. 14. lib. 1.* Landrecht/ *in Gloss. Germ. n. 3.* zum andern / ob ein man seinen Lehnherrn gröblich schmähete / oder jhm vorsetzlich schaden thäte/ dadurch mag er seyn Lehen verlieren. Schneid. *d. l. n. 98. & seq. vid.* Rittersh. *d. c. n. 9. & 10.* Niell. *disp. F. 8. th. 5. lit. A.* Gothofr. Ant. *disp. 11. th. 3. lit. C.* (f) *ex tit. l. ff. & C. de iniuriis.* Zas. *p. 10. n. 39.* Mozz. *in c. fin. n. 25. & seq.* Vult. *d. c. n. 26.* Schoner. *th. 26. disp. 10. per l. 16. ff. de pœnis. Et quoties temerario ausu manus in corpus Domini sui vasallus ingesserit, iniuriam atrocem feudi iacturâ luendam committit.* Rosent. *conclus. d. 17. n. f. & concl. 21. & præsertim concl. 20. n. 57. 58. & seq.* (g) *modò penitentiâ ductus sponte, nullo verò casu impeditus abstineat, & veniam deprecetur.* Zas. *p. 10. n. 38.* Schr. *d. c. 4. n. 48.* Mozz. *d. l. n. 21. vix autem hoc obtinebit, si frequentatis vicibus id fiat, istaq; levatio per se valde iniuriosa & suspecta fuerit,* Alvar. *d. l. n. 7.* Vult. *d. c. n. 25. in f.* Curt. Iun. *p. 4. n. 34.* Schenck *in d. vers. porrò n. 4. per l. 15. §. 1. pulsatus. ff. de iniur. iungatur l. 17. §. 1. ff. de Ædilit. edicto.* Schon. *th. 30.* Sousb. *p. 12. n. 35. in f. ubi ait: quòd si digladiando vel colluctando cum domino non vulneraret, licèt per hoc fieret periurus, feudum tamen non amittat.* Rosf. *d. conclus. 20. n. 53.*

XIX.

Nec refert, an ita per se, vel per alios Dominum offenderit, ut si per alios hoc fieri curaverit, mandaverit, (a) vel operam consilium, seu media ad tale quid perficiendum alijs præbuerit; (*b*) imò si Domino grave (*c*) periculum (*d*) aut bonorum (*e*) dispendium imminere sciens, illi hoc citissimè indicare supersederit, (*f*) aut hoc præstare impeditus pro viribus non restiterit aut averterit, (*g*) feudum amittit; (*h*) ubi tamen hoc notandum, quod Domino incumbat probatio scientiæ & potentiæ. (*i*)

Et. offendens per alium

(a) *arg. l. 11. pr. & §. 3. l. 15. §. 2. & 8. ff. de iniur. l. 7. §. 5. ff. de iurisdict.*

de iurisdict. l. 15. ff. ad L. Corn. de sicar. c. 72. in. 6. l. 169. ff. de R. I. Matth. *de* Afflict. *in d. vers. porrò n. 9.* Isern. *ib. n. 18. arg. l. 1. §. 12. de vi arm.* Alvar. *n. 6.* Schon. *d. l. th. 27.* (b) *text. in Const. Imperat* Henrici *lib. 5. F. t. 2. & 2 F. 7. ibi: ego iuro, quod nunquam ero scienter in consilio, &c. etiamsi sine eius opera & consilio offendens id perpetraturus fuisset.* Schrad. *d. p. 9. c. 4. n. 38. & seq. per l. 1. §. 4. ff. de serv. corrup. idem est, si arma vel alia instrumenta contra Dominum ipsum aggressuro sciens suppeditaverit. &c. vid.* Rosent. *d. conclus. 17. & 20. n. 6. & seqq.* (c) *arg. §. praeterea 2. F. 24. ibiq. Dd. secus imò est, si instantem levem tacturam nunciare praetermiserit.* (d) *huc refer uxoris & filiae construpationem, de quâ infra.* (e) *item si crebris criminationibus famam ipsius periclitari intelligat.* (f) *text. 2. F. 24. vers. praeterea, ibi: quàm citius potest, debet Dominum de hoc certiorare, ut Dominus sciens prudens valeat periculum declinare &c. 2. F. 39. in f. &* Iacob. *de* Belvis. Isern. *n. 6.* Alvar. Baro Schenck. *& alii. arg. l. 4. ff. ad l. Iul. Mai. l. 40. ff. de poenis.* (d) *modò id ipsi in viribus fuerit, & sine dispendio propriae salutis fieri potuerit.* Clarus *q. 57. d. §. & lib. 5. sent. §. f. q. 87. n. 3. in f.* Schrad. *d. c. 4. n. 41.* Menoch. *de arb. iud. quaest. 2. cent. 4. cas. 355. n. 19.* Duar. *c. 14. n. 10.* Curt. Iun. *p. 4. n. 89.* (h) *quia vasallus tenetur non saltem ipse Dominum non laedere, sed etiam ab aliorum offensione eum defendere, 2. F. 7. & 6. F. 2. de form. fidel. ibiq. Dd.* (i) *arg. §. 2. vers. si delator. 2. F. 24. item n. 39. in f. & ibi interpretes* Rosent. *d. concl. 20. n. 10.* Schrad. *d. l. n. 36.*

XX.

Limit: nisi justa de causa N. fiat, &c.

Nullam autem poenam, *(a)* multòque minus privationem feudi meretur vasallus, qui jure permittente, & justa de causa, nimirum pro sui & suorum, *(b)* item bonorum, *(c)* honoris, *(d)* & pudicitiae *(e)* defensione Dominum violatorem, injuriosum reprimit, laedit, aut, si aliter periculum intentatum evitare non licet, prorsus è medio tollit: *(f)* quod eò extendunt quidam interpretes, ut, licet moderamen inculpatae tutelae in aliquo *(g)* excesserit, propterea tamen feudo non sit exuendus. *(h)* Impunè etiam ex sententia quorundam vasallus feret, si Dominum innocentem, dum contra tertium invasorem violentum ille se defendat, laedat, aut interimat, modò alter praesentissimum vitae periculum non potuisset declinare. *(i)*

(a) *l. 4.*

(a) *l. 4. Gracchus C. ad l. Iul. de Adult.* (b) *hoc enim omni iure licitum est, & adversus periculum se & suos defendere, ipsa naturalis ratio permittit & dictitat. l. 3. §. 5. ff. de I. & I. §. 2. I. ad L. Aquil. c. significasti 18. X. de homicidio* Grotius *de iure b. & l. p. 2. c. 1. n. 3. & seqq. Ordin. Crim. Car. V. art. 139. & seq.* (c) *in casibus scil. iure permissis, arg. l. 3. §. 9. de vi, & vi arm. l. 1. C. unde vi l. 5. C. de iure fisci. & eleganter* Grot *d. l. n. 11. ibi: nam quæ inter rem & vitam est inæqualitas, ea favore innocentis & raptoris odio compensatur, &c. add.* Sonsbec. *p. 12. n. 40.* Schrad. *d. c. 4. n. 119. in f.* (d) Gail. *1. observ. 10. n. 3.* Schon. *d. disp. th. 32. allegans* Vasquium *& alios: quod sano modo intelligendum monet* Rosenthall *d. concl. 26. n. 32. & in gloss. lit. KK.* (e) *uxoris, filiæ, neptis, matris &c. quæ enim semel ablata restitui non possunt, in illis privata vindicta & defensio semper licita est, arg. l. 1. & t. t. C. quando cuiq; sine iudice se liceat vindicare? imo in se & suos crudelis esse, nec leviter peccare videtur, qui, si tantum nefas impedire valeat, quovis etiam modo id non faciat. vid.* Schenck. *in d. vers. porrò 2. F. 24. n. 6. per l. 1. §. pen. ff. ad L. Corn. de sicar.* (f) *per citatos text. &* Auth. *add.* Alvar. *in d. vers. porrò n 4.* Afflict. *n. 7.* Curt. Iun. *p. 4. n. 36. in f.* Zas. *p. 10. n. 102. ita etiam vasallus Dominum in adulterio cum uxore sua deprehensum interimens à privatione liber est, quoniam ita reciprocam fidem violans Dominus iure suo, quod in vasallum habet, se indignum reddit.* Gothofr. Ant. *d. disp. th. 3. lit. A. in f.* Schrad. *d. l. n. 92. & seq.* Rittersh. *d. c. n. 8.* (h) *culpam levem aut levissimam committendo.* Schrad. *d. l. n. 70. & seqq.* Rosent. *d. concl. 37. & sufficere videtur ad pœnam privationis (non verò aliam arbitrariam) evitandam, si iniustè à Domino invasus sit, (qui propterea etiam suo iure proprietatis cadit,) licet fortè aliter, quam legibus determinatum est, in defensione se gerat, cum certum sit, non prodesse Domino eam legem, in quam ipse primus commisit. arg. l. 37. in f. ff. de minor. l. 10. §. fin. l. 39. ff. de soluto matrim. c. quia frustra 14. X. de usuris.* (i) *v.* Grot. *d. l. n. 4.* Clarus *lib. 5. sent. §. Homicidium n. 31. & seq.* Rosent. *d. l. n. 33.*

XXI.

3. Si in perniciem odium & contemptum (*a*) Domini cum inimicis & hostibus ejusdem amicitiam inierit, (*b*) (modò id urgente necessitate, & probabili aliâ de causa (*c*) non sit factum.) Cum hostibus Domini amicitiã contrahens.

ctum,) licet damnum inde Dominus non senserit. (*d*) Cui autem vasallus feuda à diversis habens, Dominis ipsis inter se diffidentibus, & ab utroq; ad militaria servitia vocatus assi-
Q. stere teneatur, ardua & periculosa quæstio est; quam quidem Dd. variè, (*e*) plurimi verò & rectè pro Domino antiquiore & superiore (*f*) decidunt: quod tamen non procedet, si hic evidenter injustam causam foveat. (*g*)

(a) *Simplex autem amicitia bonâ fide, sine animo nocendi contracta vasallo non praiudicat, & iniquissimum esset, si vasallus obligatus esset, omnium, quos Dominus odit, conversationem & familiaritatem fugere, A. de* Isern. Bald. *in d. vers. porrò t. 24. F. 2.* Curt. Iun. *p. 4. n. 37.* Sonsbec. *p. 12. n. 44.* Zas. *p. 10. n. 32.* Vult. *d. c. 11. n. 29.* (b) *text. in t. 57. F. 2. ubi additur: atq; in aliis sic versatus est, ut potius inimicus quàm fidelis esse credatur; nec immeritò talis quis esse aut fieri præsumitur, quales sunt ii, quorũ consuetudine & familiaritate gaudet,* Borch. *c. 8. n. 122. per l. 1. §. 10. ff. de offic. præf. urb. l. liberi. 28. C. de inoff. testam. l. 19. C. de Ep. & cler.* Clarus *d. §. feudum q. 54.* Sonsbec. *p. 12. n. 43.* (c) *e. g. si fœdus & amicitiam cum ipsis contrahat, ut sua recuperet, conservet, &c. Cui verò incumbat probandum, an vasallo, quòd animus sc. nocendi abfuerit, an verò domino, acriter inter Dd. di-*
Q. *sputatur. Quidam onus se purgandi & probandi vasallo simpliciter imponunt, dicentes, ipsum rei illicitæ operam dare, &c. quod pluribus* Sonsbec. *d. l. n. 44.* Zas. *d. p. n. 23.* Schon. *th. 36.* Matth. *de* Afflict. *d. vers. porrò n. 21.* Baldus *&* Ardizo, *quos refert & benè refutat.* Alvarott. *in t. 17. F. 2. n. 4. vers. sed primò. Alii verò Domino; cum quibus & nos facimus, modò nullis præter simplicem amicitiam præsumptionibus vasallus prægravetur, & causam probabilem alleget, licet non probet.* Menoch. *consil. 102. n. 36. & seqq.* Gothofr. *in not. ad t. 17. F. 1. lit. M.* Schrad. *p. 9. c. 5. n. 30. & seqq.* Rosent. *concl. 12. c. 10. n. 16. & aliquot seqq. item n. 12. hanc regulam habet, quod, si vasallus actum medium gerat, sui quidem naturâ licitum, sed qui in bonam malamvè partem accipi potest, domino doli incumbat probatio, & in Gloss. lit. N. per l. 51. ff. pro socio l. 55. ff. de furtis l. 18. §. 1. ff. de probat. add.* Bocer. *p. 2. disp. 20. th. 31.* Finckelth. *disp. Feud. 10. th. 9.* Ludvvel. *tr. F. d. c. 16. arg. l. 223. de V. S.* (d) *Modò de animo nocendi & contemptu ipsius constet, quæ causa ad privandum per se sufficiens est.* (e) *vid.*

Ritt.

Ritt. *d. c. 5. n. 13.* (f) *2. F. 28. hic finit. lex. §. fin. ibiq;* Gothofr. *& alii. it. 2. F. 55. §. f.* Rosent. *c. 8. concl. 14. & seqq. & c. 10. concl. 12. n. 24. nam in omni iuramento superior & antiquior exceptus censetur, 2. F. 7. & d. t. 55. in f. ita ut posterior Dominus feudo vasallum privare nequeat, licet ab eo oppugnetur, si pro antiquioris defensione id fiat,* Hartm. Pistor. *q. 47. n. 34. arg. l. 11. pr. ff. qui pot. in pign.* (g) *cum id honestè fieri non possit. arg. §. et si scivero. ibi iustè, &* Gothofr. *lit. C. 2. F. 7. secus fortè erit, si dubites per c. un. 2. F. 28. in pr. de quo eleganter* Ludvvel. *c. 41.*

XXII.

4. Minus sanè dubium esse potest, vasallum delictum amissionis pœnâ luendum committere, si hostes Domini sui quocunque modo juverit; (*a*) ipsis scilicet per territorium suum transitum, quem facilè impedire potuisset, concedendo, (*b*) arma, annonam & alia necessaria ijs suppeditando, (*c*) munitiones Domini, quales sint, ijs nunciando, vel fidei suæ commissas tradendo; (*d*) item literas vel nuncium ipsis mittendo, signum dando, (*e*) &c. modò dolosè & in detrimentum (*f*) Domini, nullo justo metu, (*g*) vel vi adactus tale quid faciat. Hostes ejusdem adjuvans.

(a) *arg. t. 6. & 7. F. 2. de formâ fidelit: hoc enim iuramento præstito directò contrariatur. 2. F. 57. ibi: atq; in aliis sic sit versatus, ut inimicus potius &c. arg. l. 3. & 4. ff. ad L. Iul. Mai.* VVesenb. *c. 15. n. 5. per vers. illud quoq; 2. F. 55.* Lindem. *d. disp. 3. c. 10. th. 23.* (b) *quod si verò non Dominum sed alium extraneum sint invasuri, & Dominus inde nullum damnum senserit, non privatur: idem est, si prohibere eos à transitu non valeat.* Schneid. *p. 8. n. 175. arg. l. 13. §. 7. ff. locat. cond.* (c) *it. equos in favorem eorum transmittendo, vel etiam ab aliis in subsidium iis missa non intercipiendo. add.* Rosenthall *d. c. concl. 19.* (d) *arcem, castrum, exercitum, ut in hostium potestatem veniant, vel ab iis deteriorentur, prodendo; item non diligenter custodiendo: idem obtinet, si quo minus hostium munitiones exercitusve capiantur, dolo malo procuret & impediat. arg. d. l. 4. ff. ad L. Iul. Mai.* (e) Schon. *d. l. n. 85. imò & si tales literas, cum intercipere posset, transire permittat, prout vult* Ros. *d. l. n. 5. & in gloss. lit. M.* (f) *qui enim tale quid admittunt, fiunt rebellionis & proditionis rei.* Schon. *th. 34. & ibi alleg. quales qui sunt*

in cu-

in curia domini stare nequeunt. v. th. seq. atq; licet fraudulentam istiusmodi machinationem non subsequatur effectus, nihilominus feudo se indignũ reddit t.17.F.1.ubi Afflict.*n.10.* (g) *depopulationis, captivitatis & similium; excusatur autem quoad hanc pœnam, si bonâ fide, vel etiam rebus omnibus desperatis, vel probabili ignorantiâ lapsus tale quid faciat.* Schrad. *tr. feud. p. 9. c. 5. n. 32. & 35. cum seqq.* Schneid. *d. p. 8, n. 180.* Alvar. *in c. de form. fidelit. 2. F. 6. n. 2. & 3.* Iacob. de S. Georg. *verb. dictiq; vasalli n. 28. in f.* Vult. *d. c. 11. n. 31. in f.* Schon. *disp. F. 10. th. 34.* Rosenthall. *d. l. & alii plures eidem ingl. citati.*

XXIII.

Secreta revelans.

5. Sic etiam proditionis in Dominum reus, & consequenter beneficio indignus censetur vasallus, qui Domini *secreta* sive dicta sive facta scienter doloseque *revelavit*: (*a*) nec interest, an amicis suis Dominive, an vero hostibus, aut alijs extraneis (*b*) tale quid, quod Dominus ipsi in secreto commisit, vel cujus qualitates & circumstantiæ, ne palam fiat, requirunt, (*c*) manifestet, etiamsi Domino inde nullum damnum accesserit; (*d*) modò per simplicitatem vel imprudentiam non fuerit lapsus, (*e*) quam vasallus suspectus prô se allegans, si probare poterit, (*f*) â privationis pœnâ, licet damnum ex istâ revelatione Dominus senserit, absolvetur. (*g*)

(a) *text. in 1. F. 17. ib. si credentiam ad eorum damnum, ibiq;* Andr. *d.* Isern. Alvar. Baldus, *Præposit.* Matth. de Afflict. *2. F. 5. ib. quod mihi sub nomine fidelitatis. 2. F. 6. ib. ne sit ei in damno de secreto suo. ubi* Gothofr. *in not. & tit. seq. vers. & si aliquid; ne enim secreta effutiantur, hominum maxime interest, & talem temerarium revelatorem Doctores pro falsario, hoste & proditore habent., arg. l. 6. §. 4. de re milit. l. 38. §. 1. ff. de pœnis.* Rosenthall *concl. 30. n. 3.* (b) *textus enim citati generaliter loquuntur, nec inter personas, cui aperiantur arcana, distinguunt, arg. l. 1. ff. de legat. præst. l. 8. de publ. in rem act. Sed quid si talia secreta turpia, aliisq; damnosa fuerint? nec tum quidem temerè, sed cum discretione vel sacerdoti, vel etiam re ita exigente ipsi periclitanti sine fraude aperies, ut monet* Schneidevv. *d. p. n. 54. add.* Gail. *1. Observ. 100. n. 4.* (c) *perinde autem est, an Dominus ne reveletur, expreßè prohibuerit, an verò ex circumstantiis voluntatem Domini scire vasallus potuerit.* Schrad. *p. 9. c. 5. n. 44. & seqq.*

Rosent.

Rosent. c. 10. d. l. n. 9. 11. & 12. (d) *arcani enim revelatio per se facta & illicita, atq; sub amissione feudi vasallis prohibita est, nec etiam ut damnum aliquod subsequatur, requirunt d. text. arg. l. 14. ad l. Corn. de sicar.* Zas. *p. 10. n. 35.* Borch. *c. 8. n. 126. & 127.* Schon. *disp. 10. th. 33.* Rittersh. *d. l. n. 22. quanquam alii hoc casu mitiùs cum reo procedendum putent,* Curt. Iun. *p. 4. n. 76.* Sonsbec. *p. 12. n. 62. & alii quos allegat, & approbat* Schrad. *d. l. n. 50. &* Rosent. *n. 6. & in Gloss. lit. E. Nec excusationem iis praestat, quod iam tum alii ista secreta sciverint, nisi tamen omnibus vel certè plurimis cognita fuerint, uti* Matth. *de* Afflict. *in d. c. 17. F. 1. n. 5.* Intrigliol. *q. 98. n. 148. & citati Dd. tradunt* (e) *per d. text. 17. F. 1. ibi. ad eorum damnum scienter. & 2. F. 5. ibi. pandam aliis ad eius detrimentum; licet ista ignorantia crassa & supina fuerit.* Rittersh. *c. 5. n. 21. in f.* (f) *Excipienti, se animum nocendi non habuisse, incumbit probatio; cum praesumptionem iuris contra se habeat, ita ut ferè non admittatur ad iuramentum, quo autem in casu illud deferatur, & quomodo assertionem suam probare possit & debeat, vid. apud* Rosent. *d. l. n. 17. & seqq. arg. l. 53. ff. de furtis l. 79. de R. I.* Alvar. *&* Schenck *in d. c. quib. mod. feud. ami. 1. F. 17. n. 21.* Menoch. *lib. 5. praes. t. 19. n. 2. & seqq.* Vult. *d. c. n. 21.* Zas. *p. 10. n. 34. & seq.* VVesenb. *c. 15. n. 6.* Goedd. *disp. 9. th. 6. lit. H.* Mozz. *d. c. f. n. 35.* Gothofr. Ant. *d. disp. 9. th. 3. lit F.* P. Berens *d. disp. th. 25. & seq.*

XXIV.

6. Vasallus feudi privationem meretur, si Domini *mandata, aut literas contemptui habeat;* (*a*) quod maximè obtinet cùm ipsi sub amissione feudi aliquid injunctum aut interdictum fuerit, nec tamen is pareat; (*b*) dummodò id, quod mandatur de pertinentibus ad feudum sit; (*c*) in alijs autem Domini voluntatem tàm strictè observare non tenetur: (*d*) idem quoque extendunt Dd. ad casus: si Domini literas ad se missas sciens eâ quâ par est reverentiâ non excipiat, illas videlicet dilacerando, igni vel luto inijciendo (*e*) vel aliàs efficiendo, ne ijs, ad quos sunt missae, insinuentur, easvè temerè resignando &c. (*f*) **Domini Mandata, & literas contemnens.**

(a) *arg. vers. Quomodo 2. F. 23. & 2. F. 7. periurium enim is irreverenter dominum habendo, & insignem in Dominum ingrati-*

tudinem committit. (b) *alii etiam requirunt, sub indignationis pœnâ* (bey vermeidung höchster vngnade) *id mandatum vel vetitum fuisse, quos allegat* Rosent. *d. concl. 30. n. 42. & in gl. lit. KK.* (c) *ut si ad iudicium in causa feudali, vel ad canonem & servitia promissa præstanda & similia ipsum citet, & maximè quidem tum, si idem iteratis vicibus fiat.* Intrigliol. *q. 88.* (d) *ut si Dominus sine consensu suo vasallum uxorem ducere prohibeat.* Rosent. *d. l. n. 39. & seqq.* (e) *quia etiam per hoc insignis Domino infertur iniuria: excusari tamen hoc factum, volunt Dd. si inscius, vel ebrius, sive aliàs mente quodammodo captus, vel etiam cum protestatione, quòd contenta literarum vera non sint, quodvè illæ in præiudicium suum sint scriptæ &c. tale quid admittat* Schneid. *d. c. n. 145. & seq. caus. 27.* Schrad. *p. 9. c. 1. n. 8.* Matth. *de* Afflict. *in d. cap. quib. mod. feud. am. §. fin. n. 74. & alii, quos allegat* Schoner. *d. disp. 10. th. 45. idem autem multò magis obtinet, si insignia Domini iniuriosè destruat.* Rosenthall *concl. 20. n. 59. in f. & concl. 37. n. 29.* (f) VVesenbec. *in paratitl. ad t. de iniur. n. 7.* Zas. *p. 10. n. 34. & seqq.* Rittersh. *n. 24.* Gothofr. Ant. *d. disp. th. 3. lit. F. in f.*

XXV.

Delator aut accusator Domini existens.

7. Patitur feudi jacturam vasallus, si Domini sui *delator* exstiterit, atque per delationem illam grave dispendium eum sustinere fecerit; (*a*) Item si Dominum accusaverit, (*b*) aut accusatorem subjecerit; aut pro accusatore ejus fidejusserit: (*c*) nec attenditur, an crimen intentatum magnum sive leve fuerit; (*d*) an id probaverit, nec ne: (*e*) cessat tamen hæc pœna, si vasallus Dominum de crimine Majestatis læsæ accuset, (*f*) 2. vel suam suorumque injuriam persequatur. (*g*) vel 3. ratione officij id facere teneatur, (*h*) vel si 4. impetratâ abolitione pœnitentiâ ductus ab institutâ actione & quidem ante sententiam latam spontè, nec defectu probationum coactus desistat. (*i*) 5. denique ob ætatem ma itiâ destitutam. (*k*)

(a) *vers. item si. §. 2. t. 24. F. 2. delator autem hic talis intelligitur, qui denunciat, Dominum suum bona ad fiscum pertinentia possidere.* Sonsbec. *p. 12. n. 46. arg. §. si delator 7. Nov. 116. c. 3. & l. 5. §. 1. ff. de obseq. par. & patr. præst.* Schneidevv. *d. p. 8. n. 74.* Bocer. *d. disp. 20. n. 14.* (b) *text. in §. 2. vers. similiter 2. F. 33. ib. q̃z*

Alvar.

Alvar. Baro Schenck & alii Dd. per d. Nov. 115. c.3. n.3. (c) arg. l.5. §. 11. ff. de his, quæ ut indignis. Zaf. p.10. n. 46. Vult. d. c. n.27. Cujac. lib. 4. tit. 36. in f. Rosent. d. conclus. 30. n.1. & seqq. & in not. lit. A. & B. (d) text. enim cit. indistinctè de accusatione quavis loquitur, & glossam. in d. vers. si delator. contrarium tenentem interpretes pleriq; reprobant. Sonsbec. d. l. n. 47. Vult. d. l. Bocer. d. disp. th. 19. Rittersh. n. 14. in f. & seq. Nec perinde in accusatione requiritur, ut grave damnum inde dominus senserit, sicuti in delatione. Curt Iun. p. 4. n. 62. Schoner. th. 37. (e) quia nec filius patrem, nec libertus patronum, nec servus Dominum etiam de vero crimine, quodq; satis probare queant, accusant impunè l. 6. l. f. §. 2. C. de delator. l. 10. ff. de iure patr. d. Nov. 115. facultas enim accusandi quibusdam denegata est non ob innocentiam reorum, sed propter personarum qualitatem & reverentiam iis debitam. Bocer. d. disp. 20. th. 18. per l. 4. l. 8. & seqq. ff. de Accusat. Finkelth. disp. Feud. 10. n.7. (f) arg. l. 7. §. servi quoq; 2. ff. ad l. Iul. mai. & d. Nov. c.3. n. 3. arg. c. si quis per capillum 10. c. 22. q. 1. & ad d. vers. item si delator. 2. F. 24. Dd communiter (g) arg. l. 11. & seqq. ff. de Accusat. l. 1. §. 42. vers. aliter. ff. de vi arm. Zaf. p.10. n. 47. vers. Tertiò. arg. l. 14. §. 7. & §. si pater. pen. ff. de bon. libert. Schenck. in d. vers. si delator n. 3. & seqq. Niell. disp. Feud. 8. th. 5. lit. D. (h) utputa si Advocatus Fisci l. 5. §. 13. ff. de his quæ ut indign. Tutor, arg. l. 22. eod. vel Hæres defuncti, cuius necem vindicare tenetur. t. t. ff. de SCto Sil. item si Magistratus eiusdem loci fuerit. Sonsb. p. 12. n. 48. ex Alvar. in d. vers. si delator. Lindem. disp. F. 3. c. 10. n. 14. Schon. d. l. th. 39. (i) arg. l. 14. §. 8. ff. de bon. libert. l. 11. ff. de in ius voc. d. l. 10. de Iure patron. Curt. Iun. n. 66. Schneid. d. p. 8. n. 75. ubi adhuc alias limitationes habet. Bocer. d. disp. th. 17. (k) Minor nimirum 25. annis, modo desit dolus & malitia Vid. Rosent. conclus. 30. n. 38. & in gloss. lit. NN. Curt. Iun. d. l. n. 63. verùm hæc limitatio non omnibus arridet. vid. Rittersh. d. c. q. 15. Ludvvel. d. l.

XXVI.

8. Idem obtinet, si vasallus contra Dominum *Advocationem* susceperit; (*a*) sive etiam *testimonium* contra eum perhibuerit, (*b*) & quidem in causa criminali indistinctè, in civili verò tantùm famosâ aut non modicum concernente; (*c*) in causa feudali verò semper hoc fit impunè, (*d*) sic ut etiam in casu

Advocationem, aut Testimonium contra ipsum suscipiens.

in casu

in casu, quando judex, sive magistratus invitum eum & renitentem sub comminatione pœnæ ad testimonium dicendum coegerit, (e) extra omne periculum positus est. (f)

(a) *scilicet voluntarie; alind est, si ratione officii publici aut iussu magistratus id facere teneatur, arg. L. pen. C. de postul. l. f. ff. de inoff. Testam.* Gail. *1. observ. 88. n. 5.* Zas. *p. 10. n. 42. & 50.* Vult. *d. c. n. 27. vers. ita cum vasallus* (b) *text. in d. §. similiter 2. tit. 33. F. 2. ibiq;* Gothofr. *& alii interpretes, quia utroq; modo in consilio & facto est, ex quo Dominus lesionem sentiat, quod contra fidem datam est. t. 6. & 7. F. 2.* (c) *in causa civili media utrumq; facere licet.* Sonsb. *p. 12. n. 68.* Duar. *c 14. n. 15.* Rittersh. *n. 17. arg. l. 4. ff. & l. 12. C. de Testibus.* Gothofr. Ant. *in f. d. th. 4. lit. E.* Schon. *d. disp. th. 42. qua autem causa dicenda gravis vel levis, aequus iudex arbitrabitur,* (d) *textus sunt 1. F. 26. 2. F. 32. & 33. §. quod autem dictum est. 1. F. 4. in d. §. similiter vasallus, vid. in d. t. 33.* Schenck *n. 1.* Zas. *d. l. n. 49.* Setzer. *disp. F. 9. th. 8. lit. C.* (e) *quod index rebus sic exigentibus facere potest, ita ut ne quidem relaxatione iuramenti opus sit, (quod tamen usu ferè ubiq; servatur) cùm in eo nil, nisi quod iustitiæ & honestati consentaneum, promissum esse censeatur. & obligatio iuri contraria nulla sit; l. 5. C. de ll. l. 7. §. 16. in f. ff. de pactis. l. 35. §. 1. ff. de V. Oblig. quin de secreto etiam sibi commisso interrogari in examine quoq; posse, Dd. tradunt.* Gail. *1. Obs. 100. n. 4. & seqq.* Rosent. *p. 10. concl. 23. n. 32. & seqq. & quos allegavit in glossa lit. AA.* Schrad. *p. 9. c. 8. n. 3. & seqq.* (f) *nam iussus iudicis à dolo & culpâ regulariter excusat, l. 167. de R. I. §. 1. arg. l. 2. §. 2. ff. si quis caut. l. 19. C. de testibus.* Alvar. *in §. d. item si delator 2. F. 24. n. 4.* Borch. *c. 8. n. 128. qui id aliquoties se in facti contingentia observasse testatur.* Lindem. *d. l. th. 28.* Schneid. Curt. Iun. Vult. Schon. Rittershus. *d. ll.* Treutl. *vol. 1. disp. 8. th. 2. lit. C. nec his obstat. l. 4. ff. de testibus, cum diversa subsit ratio, nec vasallus tam arctè obligatus sit Domino, quam libertus patrono, filius parenti.*

XXVII.

Malè contra Dominum judicans.

9. Privationis pœna sibi locum quoque vendicat, si vasallus in non levi causa, (a) sive ex dolo sive imperitiâ (b) malè & iniquè contra Dominum suum indicaverit, & apud appellationis judicem sententia ex ijsdem actis reprobata fuerit

rit; *(c)* idem tamen obtinet, licet appellatum non sit, modò de malo vasalli judicis animo & culpa aliàs constet; *(d)* sive etiam alijs modis jus domino reddere, & justitiam administrare dolosè recusaverit: *(e)* & sive hec in propria vasalli, sive in Domini curia fecerit. *(f)*

(a) Glossa & Alvar. *in §. 2. vers. si delator 2. F. 24. n. 8. per l. 5. §. 12. ff. de his, quæ ut indign.* Iacobin. de S. Georg. *tit. causæ, propter quas vasallus n. 27. ibi. & Dominus ex illa sententia passus est magnum damnum, per text. in §. præterea 2. F. 24. ibi grandem patrimonii iacturam.* (b) *debuisset enim peritiorum consilio uti, quod quia neglexit, in dissoluta fuit culpa l. 9. §. 1. ff. Locati l. 9. C. de LL. l. 2. l. 9. ff. de iuris & fact. ign. l. 2. in f. quis ord. in poss. quæ propè dolum est. l. quod Nerva 32. ff. Depositi.* Zas. *p. 10. n. 47. &* Iacob. de S. Georg. *d. l. n. 37.* Mozz. *d. c. n. 34.* Alvar. *quod si verò peritiores consuluerit, non erit puniendus,* P. Berens *d. disp. th. 22.* (c) *2. F. 24. §. 2. ibi: iustitiam facere noluerit 2. F. 6. ibi. ne sit in damno de iustitia sua.* Clarus *d. §. q. 68.* VVes. *c. 15. n. 7.* Curt. Iun. *p. 4. n. 60. secus est, si ob novas probationes, vel confessiones adversaris aliter iudicatum fuerit.* Schrad. *p. 9. c. 7. n. 168. & seq. vers. Tertiò fallit* Schon. *th. 44.* Vult. *n. 27. inf.* Rittershus. *d. c. 5. q. 20.* (d) *licet etiam iniquam sententiam vasalli appellationis iudex malè confirmet.* Rosent. *c. 10. concl. 24. n. 5. cum suam nihilominùs de iure civili litem fecerit. Idem n. 17. & seqq. & in gloss. lit. O. & P.* Schrad. *d. l.* (e) *ut finimis differat, manifestò deneget, si legitimâ fideiussione reiectâ Dominum ex carcere respondere cogat, sive aliis modis ipsum iure suo uti, passus non fuerit: quomodo autem passivè iustitiâ Domino denegatâ privetur, infra explicabitur.* (f) *add.* Vult. *d. c. n. 24. vers. contumacia.*

XXIIX.

His causis ab alijs aliæ adduntur; & scil. feudo quoque excidere vasallum volunt, qui, 10. alij quam Domino fidelitatem jurat. *(a)* 11. qui Domino cum suis innoxium transitum per suum territorium, vel viam publicam denegat. *(b)* 12. Qui Domino rem facilem malitiosè aggravat: *(c)* ut si matrimonium, quod vel ipse Dominus, vel ejus liberi contrahere legitimè volebant, dolosè impedit; *(d)* vel simile quid jurisjurandi sui immemor in odium & contemptum Domini sui perpetrat. *(e)* Tres aliæ causæ.

 (a) modò

(a) *modò id sponte nullâ necessitate coactus, nec ullo probabili metu, aut errore lapsus faciat.* Vult. *n.23. in f.* Schoner. *th. 50. d.D.* Rosent. *c.10. conclus. 31.* Schneidevv. *d. c. p. 8. n.25. & seqq.* (b) *arg. l.11. C. de servit. & aq. l.13. §. si quis me probibet ff. de iniur. nisi iustam prohibendi causam habeat.* Schrad. *p. 9. cap. 5. n. 33. & 34.* Schneid. *n. 177. d. l.* Rosenthall *c. 10. concl. 37. n. 30. hostis etenim censetur, qui innoxium transitum prohibet. c. fin. C. 23. q. 2.* Schrad. *d. c. 4. n. 35.* (c) *vel quod possibile erat, faciat impossibile 2. F. 6. ibiq́; Dd.* (d) Alvar. Andr. de Isern. *in d. c. de forma Fidel. idem obtinet si quidem non penitùs impediat, dummodò matrimonium, quod facilè aliàs perfici potuisset, difficilius, & maioribus sumptibus & incommoditate procurandum efficiat quocunq́; modo id etiam fiat; nisi ex iusta quadam causa, vel etiam ex simplicitate id effecerit.* Rosenthall *d. c. 10. concl. 30. n. 27. & aliq. seqq.* Schrad. *p. 9. c. 6. n. 1. & seqq.* Schneidevv. *d. l. n. 48. & 49.* Iacobin. de S. Georg. *in verbo, qui quidem investiti n. 20. in f. & seq.* Schenck *in d. c. de forma Fidel. 6. F. 2.* (e) Rosent. *d. c. 10. concl. 14. & alibi passim. vid. etiam* Schneid. *n. 60.*

XXIX.

Hæc de ingratitudine in ipsam Domini personam commissâ dicta sufficiant: sequitur nunc ea, quæ mediatè & per consequentiam Dominum offendit: quod fieri vel in res & bona, vel in domesticos & conjunctos Domini committendo, supra monuimus: per Domini res hîc quidem potissimùm ipsum feudum, cujus proprietas Domino remanet, non minùs tamen etiam alia ipsius bona intelliguntur.

XXX.

Feudum illicitè alienans.

In ipsum feudum committens vasallus eò privatur 1, si illud sine Domini consensu sciens (*a*) (& quidem toto, si feudum totum, parte, si partem (*b*)) quocunque modò (*c*) alienaverit; (*d*) id quod in cujuscunque feudi illicitâ alienatione procedit, (*e*) modò traditio vel vera vel ficta secuta sit: (*f*) idque etiam procedit, licet pœnitentiâ ductus paulò post, antequam Dominus quæstionem ipsi de ea re moveat, possessionem recuperet. (*g*)

(a) *2. F. 42. ibi. à scientibus. & interpretes communiter, item 2. F. 26. versu. si vasallus; secus est, si conditionẽ rei probabiliter ignoraverit*

raverit, & allodium esse arbitratus fuerit, arg. l. 30. pr. ff. de usurp. & usuc. quòd si vir honestus & bonæ famæ sit, atq; coniecturis aliquibus iuvetur, iuramento suo confirmabit t. 41. & 42. F. 2. Zas. *p. 10. n. 10.* Gail. *2. obs. 48. n. 10. & observ. 69. n. 6.* Mascard. *de probat. vol. 2. concl. 879. n. 31. & seq. arg. l. 50. si ignorans. ff. locati. Quid si dubitaverit? in eo Dd. variant. Nos mitiùs cum eo procedendum putamus, arg. vers. Ad hæc. 2. F. 28. 2. F. 34. §. ult. per l. 22. §. 2. C. de furtis. l. fin. C. de condict. indeb.* Bocer. *th. 76. cum etiam aliàs dubitans pro bonæ f. possessore haberi soleat.* Fachin. *1. controv. 65.* Zanger. *de Except. p. 3. c. 8. n. 44.* (b) *text. expr. 2. F. 38. olim usq; ad medietatem feudum alienare licebat. 2. F. 9. 1. F. 5. vers. aut si libellario. cui derogatum per c. imper. pr. 2. F. 55. ibi. vel totum vel partem. &* Gothofr. *lit.* O. Clar. *q. 31. n. 7.* Borch. *c. 8. n. 32.* Schrad. *p. 9. c. 1. n. 55. huc facit l. 6. & 11. ff. de his, quæ ut indign. iunctâ l. 1. §. pen. ff. de V. Oblig. l. 17. & seq. ff. rem ratam haberi.* Sonsbec. *p. 12. n. 78.* (c) *expressus text. in tit. 42. F. 2. ibi, quod dicitur de venditione sc. prohibitâ, idem est in omnibus aliis alienationibus.* Calvin. *in lexic. verbo vendere, it. 2. F. 55. vers. habito; & 2. F. 40. ut puta si domino inconsulto ad longum tempus locârit. secundum* Clar. *q. 36.* Zas. *p. 9. n. 12. aut pro filia dederit in dotem. §. donare 2. F. 9. qualit. olim. ibiq; Dd.* Vult. *c. 10. n. 46. Mulier tamen feudum habens se ipsam eo ipso dotare potest 2. F. 13 & 17. modò ne dos detur æstimata, nec addatur pactum de dote lucranda.* Clarus *q. d. 36. add.* Rittersh. *d. c. 3. q. 26. & seqq.* Mynsing. *cent. 4. observ. 86.* Borcholt. *n. 38. & 39. Aut in Emphyteusin concesserit, arg. l. pen. §. 1. qui satisd. cog.* Alvar. *in pr. d. t. 55. F. 2. n. 7. aut oppignoraverit. d. c. de probib. al. per Fred. in pr.* Zas. *p. 9. n. 6. Item si permutaverit, arg. l. 1. §. 5. & 6. ff. quando act. de pecul. ann.* VVes. *c. 11. n. 3. sive si super feudo cum alio transegerit, aut in solutum dederit; aut si alii legârit, vel donarit, idq; tam inter vivos quàm causâ mortis; aut etiam pro salute animæ suæ Ecclesiæ concesserit. in d. c. qualit. olim 2. F. 9. & c. imperialem 2. F. 55. ibiq;* Alvar. Baro Schenck *& alii.* Clarus *d. §. q. 40. & 38.* Borch. *n. 35. & aliquot seqq.* Rittersh. *lib. 2. c. 3.* (d) *1. F. 13. de alien. F. & text. præcit.* VVesenb. *c. 15. n. 6. per §. callidis. 2. F. 55.* Schneidevv. *n. 148. & seq.* Gœddeus *disp. F. 9. th. 6. lit. D.* Gothofr. Ant. *d. disp. th. 6. lit. A.* Schnobel. *disp. Fend. 9. th. 2. & seqq.*

& disp.

& disp. 10. th. 23. Ratio huius est, quod ita alienans Dominum contemnere videatur, 2. F. 24. in f. ipsiq; invito alium vasallum obtrudat. 2. F. 12, & Domini conditionem deteriorem reddat. Vult. *n.* 41. Ritt. *d. l. 2. c. 3. n. 1.* (e) *sive feudum novum, sive antiquum, sive etiam Francum fuerit.* Rittersh. *c. 3. lib. 2. n. 1. in f.* Bocer. *c. 8. th. 83.* Bocer. *th. 72.* (f) *Nuda enim conventio non subsecutâ possessionis translatione vasallo non nocet. arg. §. d. callidis. 2. F. 55. ibi. vendunt & in alios transferunt; alienatum enim propriè non dicitur, quod in dominio venditoris manet. l. 67. pr. d. V. S.* Vult. *d. l. n. 42. & 43.* Schrad. *p. 9. c. 1. n. 32.* Bocerus *disp. d. th. 77.* Schon. *th. 53. per §. 40. & seq. Instit. de R. div. l. 20. C. de pact. l. fin. C. de reb. al. non alien.* Clar. *q. 31. n. 3. add. l. 18. §. 2. de acquir. poss. &* Curt. *d. p. 4. n. 111. & Dd. precit.* (g) *text. in c. quid iuris post. alien. 44. F. 2. ibiq;* Gothofr *in not. lit. I. & V.* Schrad. *p. 9. c. 1. n. 17.* Rosent. *c. 9. conclus. 5. & seqq.* Rittersh. *lib. 2. c. 5. n. 79.* Bocer. *th. 79.* P. Berens *d. l. th. 57. Aliis tamen contraria opinio, ut quæ æquior & benignior, magis arridet.* Curt. *d. l. n. 104.* Zas. *p. 10. n. 4.* Vult. *n. 43.* Boc. *th. 79. in f. arg. l. 7. de divort. l. 48. de R. I. c. f. X. locat. ibiq;* Gl. Baldus, Ardizo, Andr. de Isern. & Alvar. *in d. t. 44, F. 2.* Rittershusio *d. l. allegati.*

XXXI.

Ampliatur

Quod in tantum obtinet, ut etiam hæredes Domini, antequam animum suum de feudo revocando declarasset, defuncti, id repetendi facultatem habeant. (*a*) Præterea pretium etiam quod pro feudo illicitè alienato vasallus accepit, is amittit: (*b*) quod vel emptori, si bonâ fide & ignorans emerit, (*c*) restituetur, vel fisco, si id malâ fide actum fuerit, applicabitur. (*d*) Excusant autem alienantem, & extra periculum amissionis eum ponunt, 1. Authoritas juris. (*e*) 2. Voluntas sive Ratihabitio Domini. (*f*) 3. consuetudo loci, (*g*) extrema necessitas. (*h*)

(*a*) *tàm à vasallo eiusq; hæredibus, quàm à quovis alio possessore;* Schrad. *2. p. 9. pr. sect. 9. n. 22. & seq. ad hæredes enim, qui Domino in universum ius succedunt, etiam feudum alienatione amissum, quod ipso iure statim ad ipsum Dominum redit, 2. F. 24. in f. 2. F. 33. pr. 2. F. 44. 2. F. 55. §. callidis. pertinet, arg. l. 37. ff. de acquir. vel amitt. poss. l. 62. d. R. I.* Borcholt. *d. c. 8. n. 156.* Bocerus. *th. 83.* Schnobel. *disp. Feud.*

disp. Feud. 10. n. 23. authoritate Baldi *in* §. *insuper in f. d. t. 55. F. 2. modò aliàs de ipsius animo remittendi non constet; in aliis autem causis regulariter contrarium obtinet, de quo infra. Dissentit tamen in hoc casu* Schrad. *d. l. sect. 9. n. 5. & seqq. vid.* Curt. Iun. *v. 156.* (b) *2. F. 24. in f. pr. 2. F. 52. vers. si quis v.* (c) *2. F. 55. pr. vers. non autem. arg. l. 11. §. 13. ff. de Act. empti. etiamsi evictioni expressè renunciaverit* Schoner. *th. 54. per. l. 9. C. de evict.* (d) Schenck *in d. t. 42. n. 4.* Zas. *p. 9. n. 38. etiamsi feudo evicto de pretio reddendo stipulatus fuerit.* Curt. Iun. *p. 4. n. 118. & seqq.* Rittersh. *lib. 2. c. 3. n. 20.* (e) *Exempla sunt 2. F. 3. §. 1. 2. F. 26. vers. beneficium, 2. F. 34. §. 2. 2. F. 9. ibi. locare non fraudulenter, nec ad longum tempus. Et sic ex quorundam sententia licita quoq; est hypothecatio.* Borch. *n. 60.* Clarus *q. 35. quod tamen nequaquam nisi fortè de fructibus feudi accipiatur, admittimus. per l. f. C. de reb. al.* (f) *Etiam tacita & præsumpta; ut si præstò Dominus sit, quando alienatur feudum, nec tamen contradicat, arg. l. 16. ff. de SCto Maced. & l. pen. ff. de re iudicata.* Curt. Iun. *n. 137.* Mynſ. *cent. 4. observ. 87.* Borch. *c. 8. n. 72.* Rittersh. *c. 5. n. 82.* Rosent. *c. 9. concl. 28. n. 6. & in gloss. lit. E.* (g) Iul. Clar. *q. 31. n. pen.* Gothofr. Ant. *d. disp. 11. th. 6. lit. B. in f.* Rittersh. *n. 83.* Borch. *n. 75.* Vult. *n. 92. d. l. qualem consuetudinem in Gallia obtinere, testantur* Cujac. Fornerius. Duar. Hotom. *citati* Rittersh. *l. 2. c. 3. n. 2.* (h) *qualis est famis, nuditatis, & si nimio ære alieno obrutus sit; quod ita tamen communiter restringitur, ut teneatur in eiusmodi necessitate constitutus priùs Domino denunciare, eiusq; concessionem requirere; hanc verò si Dominus præstare renuat, an tunc quoq; impunè possit alienari feudum, anxiè inter Dd. disquiritur: Negat.* Schrad. *p. 8. c. 1. n. 21.* Hartm. Pistor. *lib. 1. quæst. iur. 15. n. 2.* Bocer. *th. 86.* Gothofr. Ant. *d. l. th. 6. lit. B.* Schnobel. *disp. 9. th. 10.* P. Berens *d. l. th. 58. sed affirmativa moderatè intellecta ut æquior, ita etiam communior videtur* Rosent. *p. 9. concl. 3.* Clar. *q. 31. n. 11.* Menoch. *de arb. iud. lib. 2. cent. 2. c. 182. n. 26.* VVurmſ. *pr. obs. t. de F. O. 15. & seqq.* Borch. *c. 8. n. 70.* Mynsing. *cent. 6. observ. 30. n. 5. qui hanc quæstionem in Camera aliquando decisam esse, refert.* Rittersh. *l. 2. c. 3. n. 6. & c. 5. n. 81.* Arum. *d. disp. th. 12.* Hannet. *l. 3. de F. c. 5. in f. Plures limitationes & clausulas, quibus sibi prospicere soleant in actu alienationis, vide apud* Borçholt. *n. 70. 74. & seqq.* Vult. *n. 44.* Schneidevv.

n. 150.

n. 130. Bocer. th. 89. & seqq. Rittershus. d. ll. Ludwel. c. 17. in pr. *Eadem autem omnia, quæ im in iure F. communi per Impp. Lotharium & Fredericum de prohibita feudi alienatione statuta sunt, expreße in illustri hoc Ducatu Brunsvicensi recepit & confirmavit excelsæ memoriæ Princeps D. Henricus-Iulius Constitutione*, Wegen nicht vereusserung oder beschwerung der Lehen: Erbzinß: vnd Meyergüter. *sub dato* Wolffenbüttel den 3. Aprils. *Anno* 1593. Ob wol/ vermöge beschriebener Rechte/ einem Lehen/ vnd Erbzinßman seine Lehen: vnd Erbzinßgüter ohne *Consens* vnd vorbewust seines Lehens/ vnd Erbzinßherrn zuverkauffen/ zuverpfenden/ zubeschweren/ oder anderer gestalt/ wie die auch nahmen haben mag/ zuvereussern/ nicht gebühret/ auch die Lehenleute solches in jhren Lehns-eyd mit nehmen müssen/ so haben wir doch bald anfangs vnser Regierung vnd nach der zeit befunden/ daß solches von vielen wenig in acht genommen/ vnd jhnen selbst zu vnwiederbringlichem verderb/ vergessentlich überschritten worden/ demnach vns aber dieser verderb- vnd beschwerlichen vnordnung/ damit dieselbe nicht ferner einreisse/ bey zeiten für zubawen obliegt vnd gebühret: also ordnen/ setzen/ vnd *Constituiren* wir hiemit/ da hiernegst/ vnd von zeit an dieser vnsern nützlichen and hochnothwendigen *promulgirten Constitution* einig vnser Lehen: oder Erbzinßman seine Lehen-oder Erbzinßgütter ohn vnser *Consens* vnd beliebnis zuversetzen/ zuverpfänden/ züverkäuffen/ oder in andere wege sie zubeschweren sich vermessenlich vnterstehen wird/ daß derselbe sich hie durch *facto ipso* ohn einigen vorhergenden *proces* seines Lehen- oder Erbzinßguts verlustig gemacht haben; der *Notarius* aber so über diese verbottene *contractus* einig *instrumentum* zuverfertigen/ sich muhtwillig vnterstehen würde/ seines *Notariat*-Amptes in vnsern Landen *cum infamia* entsetzet werden soll. (*eadem pœna Notario dictatur in Constit. Lothar. 2. F. 52. §. 1. in f. & in Constit. Frider. 2. F. 55. in f. pr. additur manus amputatio*) &c. *Quam idem Princeps denuò cum clausula Executiva renovavit, sub dato* den 2. Aprill. *Anno* 1604. *Et in hac subf.* was wir auch diesfals von denen von vns ohn mittel zu Lehen: oder Erbzinßrührenden Gütern *statuiret*/ vnd geordnet/ das soll auch ingemein von denen denselben anhängenden Afterlehnen vnd Erbzinßgütern verstanden werden/ etc.

XXXII. 2. Feu-

2. Feudo se indignum reddit vasallus, eo *abutendo & deteriorando.* (*a*) Nec tamen ob quamvis rei feudalis deteriorationem, sed eam, quæ non vasalli tantùm fraude aut culpa contigit, (*b*) sed & simul etiam tanta est, (*c*) ut in totius feudi grandem iacturam redundet, (*d*) id obtinet. Idem est, si formam prædij sive rei feudalis ita in totum mutârit, ut non facilè in pristinum statum reduci queat; maximè si per id melius non fuerit redditum: (*e*) aut contra inhibitionem Domini in istiusmodi mutatione aut deteriratione vasallus perrexerit. (*f*) **Feudum deterius reddens.**

(a) *2.F.8.§.1. E contrariò. 2. F.27. de pace ten. §. 7. arg. 2.F.24. §. preterea. & 2.F.7. ob eandem causam Vsufructuarius l.13. §. 4. l. 15. §. 6. ff. de usufr. Emphyteuta, auth. qui rem C. de SS. Eccl. Nov. 120. c. 8.* Hartm. Pistor. *l.1. q.28. & Conductor l. 3. C. de locato. iure quisq; suo privantur.* (b) *scil. culpâ latâ sive negligentiâ maiori, (nihilominùs tamen is ad damni levi culpâ illati restitutionem tenetur.* Rosent. *c. 8. concl. 2. n. 9. 16. & c. 10. concl. 33. n. 38. per text. in t. 57. F. 2. inf.)* Schr. *p.9. c.6. n.68. etiamsi non ipse sed alii ipsius culpa feudum deterius reddant, arg. l. 25. §. 3. & 4. ff. Locati.* Schneidevv. *n.31. inf.* Rosent. *d. concl. 33. n. 39.* (c) *Notabilis sc. quantitatis. d. §. preterea 2. F. 24. ibi. grandem iacturam, & vers. si delator. grave dispendium, & 2. F. 23. ibi. egregiæ ingratitudinis causæ. quod arbitrio iudicis diiudicandum relinquitur.* Menoch. *d. tr. l. 2. cent. 1. cas. 78.* (d) Zas. *p. 10. n. 55.* Bocer. *d. disp. th. 64. lit. B. & alii ibid. cit. secus est, si deterioratio fructus feudi tantùm respiciat, modò non sit perpetua.* Isern. *in c. quib. mod. Feud. amit. vers. ut transact. n. 27.* Schrad. *d. l. n. 69. & 73. vid.* Mynsing. *cent. 6. O. 86. n. 8.* Bocer. *d. l. th. 64. arg. 2. F. 52. pr. t. 54. inf. & 55. §. 2. Quod si partem deterioraverit, non toto, sed parte illâ tantùm privatur, arg. c. un. de vas. qui contr. constit. Loth. 2. F. 38. arg. l. 6. & 11. de his, qua ut indign. l. 22. C. de pœnis l. 6. l. 8. ff. de leg. 1.* Bocer. *th. 71. & ab eo cit.* Schneidevv. *d. l. n. 53. vers. 4.* (e) *Ex. gr. Si magno numero arbores fructiferas ex sylva glandifera aut pomario contra boni patrisfamilias officium succiderit & exstirpaverit. arg. l. 7. §. 12. ff. solut. matr. l. 13. §. fructuarius 4. & seq. ff. de usufr. l. 45. §. pen. de iure fisci, & in*

 Constit.

Constit. Frider. t. 10. F. 5. vers. f. quod quàm variis modis rursus limitetur, vid. apud Dd. cit. aut si crudelis & iniustus in subditos feudales fuerit, magnas atq; insolitas exactiones, & operas illis imponendo, honestas fœminas vi stuprando, iustitiam ipsis denegando &c. per d. §. pen. quicunq; advoc. 2. F. 27. ibiq; Bald. *n. 2.* Alvar. *n. 1.* Schenck. & *alii.* Clarus. *q. 47. & 56.* Schneidevv. *d. l. n. 30. & seqq.* Curt. Iun. *p. 6. n. 1. & p. 4. n. 44.* Schonfr. *th. 55.* Lindem. *disp. F. 3. c. 10. th. 39. & seqq.* Zas. *p. 10. n. 54. & 55. & p. 7. n. 54.* VVesenb. *c. 15. n. 6. & consil. 57. n. 13.* Borcholt. *c. 3. n. 33. & c. 8. n. 129.* Vult. *n. 39.* Mynsing. *cent. 5. observ. 8. arg. §. f. l. de his, qui sui vel al. iur. & l. 6. C. de obseq. patron. præst.* (f). *quia ad feudum in pristinâ formâ restituendum eo finito regulariter tenetur.* Borcholt. *d. c. 3. n. 33. vid.* Schrad. *p. 6. c. 6. n. 18. & seqq. & p. 2. p. pr. 9. sect. 5. n 40. inf.* Rosent. *d. concl. 33. n. 14. & aliq. seqq.* (g) *quasi intervenerit, nec vasallus paruerit, perdit feudum, licet non adeò gravis deteripratio fuerit, Dd. communiter: nec tamen ea semper ita necessaria est, ut ob hanc causam privatio locum non habeat absq; ea.* Schenck *ad d. §. quicunq; Advocat. vers. sed hoc intelligo.* Rosenthall. *d. conclus. n. 46. & seqq.* Arumæus. *disp. F. 8. th. 25. per l. 1. in f. ff. de Act. empti.* Rittersh. *c. 5. n. 69.* Gail. *de pac. publ. l. 1. c. 2. n. 22. & Observ. 17. n. 4. lib. 1. ubi tamen monet, quod in praxi contrarium observetur.*

XXXIII.

Feudum ejusve conditionem abnegans.

3. Itidem vasallus privatur feudo, qui malitiosè illud sive totum, sive partem, (*a*) sive etiam conditionem & qualitatem (*b*) ejus inficiatus fuerit: (*c*) sive id in judicio sive extra illud fiat, (*d*) Excusatur tamen, si 1. dubitanter (*e*) 2. si non simpliciter, sed narrata prout narrantur, generaliter neget. (*f*) 3. Si ante litis contestationem contumaciam suam purget, & feudum recognoscat, (*g*).

(a) *Quanquam autem qui partem feudi alienat, deteriorat, aut abnegat in solidum contra fidelitatem Dominum offendat, non tamen toto, sed eâ tantum parte, circa quam deliquit, exuitur. arg. c. un. de vasall. qui contr. constit. Lothar. 2. F. 38. ibiq; Dd.* Gloss. *in §. vasallus si feudum. verbo scientia. 2. F. 26.* Clarus. *q. 59. n. 3. idem est, si plures habeat dominos, & unum ex his tantum abnegaverit.* Rosent. *c. 10. conclus. 32. n. 8. & seqq.* (b) *Servitia & pacta, in investiturâ*

feudi adiecta, quæ si negata fuerint, totum feudum amittitur, quia qualitas negata totum feudum respicit, adeoq; circa totum feudum delinquitur, arg. l. 80. §. 1. ff. ad L. Falcid. Schneidevv. *n. 39.* (c) *d. §. vasallus si feudum. 2. F. 26. ibiq;* Baldus. Alvar. Iacob. de Belvis. Matth. de Afflict. Baro Schenck *& alii communiter; modò legitimis probationibus mendacii convictus fuerit; Domini enim iuramentum ad hoc non sufficit.* Alvar. *d. l. n. 5.* Schenck. *n. 10. & 11.* Schneidevv. *d. l. n. 44. nec propria confessio.* Schrader. *p. 9. c. 6. n. 37.* (d) *quia hi textus in c. si de feud. def. controv. versi vasallus si. & vasallus feudum generaliter loquuntur.* Rittersh. *n. 29. minùs tamen vasallum privari ob abnegationem extraiudicialem, putat.* Rosent. *d. conclus. n. 31. modò non perseveret in ea usq; ad litis contestationem. vid.* Schrad. *d. l. n. 30. Idem obtinet in inficiatione instrumenti in feudo novo.* Borcholt. *d. c. n. 117. & seqq.* Schoner. *disp. 10. th. 58.* Arum. *d. disp. 18. F. 2.* Ludvvel. *d. c. 17. in pr. ubi contrariam* Boceri *opinionem accuratè refutat. Alius autem vasallus, quamvis hoc sciens non patefaciat, feudum tamen retinet; sicuti etiam si aliam Domini rem celaverit, feudum non amittit, expr. text. in d. §. vasallus si feudum 2. F. 26. quem quomodo Dd. declarent vid. apud* Rosent. *d. conclus. 32. n. 42.* Rittersh. *n. 39. & seq. & n. 34. d. c. 5.* (e) §. *fin. de lege Corradi 2. F. 34. & d. versic. vasallus feudum, ibi. quod si dubitet, dubitanter respondere debet, &* Gothofr. *in not. lit. C. Dilatio tamen dabitur, ut pleniùs instituatur.* Cujac. *lib. 4. feud. tit. 5.* Zas. *p. 10. n. 53.* Rittersh. *d. c. 5. n. 32. dubitans enim & errans habentur pro ignorante, in quem dolus non cadit. l. ult. & ibi gloss. C. de cond. indeb. l. 2. pr. ff. quis ord. in poss. servetur.* Schenck. *ad §. vasallus si. n. 3. & seqq.* (f) *Nam positio partim vera, partim falsa absolutè negari potest. arg. l. 13. §. utrum 3. ff. de reb. dub. l. 1. §. 4. ff. de V. Obl. & vasallus, si vel una vel plures qualitates, quibus feudum petitum in libello designatur, falsæ fuerint, impunè illud totum negat.* Schrader. *p. 9. c. 6. n. 36. de quo tamen dubitat* Rosent. *d. l. n. 30. & 31. add.* Vult. *n. 28. & ibi citati.* (g) *Si pœnitentiâ ductus suam abnegationem revocet, & quidem priùs quàm litem contestetur, arg. l. 84. de V. O.* Alvar. *in d. §. vasallus si. n. 6. ita tamen, ut domino expensas & damnum refundat.* Schrader. *d. l. n. 38. & aliq. seqq.* Schneidevv. *d. l. n. 44. lim. 3.* Borch. *c. 8. n. 116.* Vult. *d. l. inf.* Arum. *d. disp. 8. th. 19.*

XXXIV.

Domini possessiones invadens aut deterio-rans.

4. In alijs etiam bonis suis Dominus offenditur, & vasallus feudo privatur, quoties nimirum in castrum, civitatem, vel vicum Domini insultum fecerit, cúmve oppugnaverit, (*a*) nec interest an Dominus vel Domina tempore insultus ibi fuerit, sive non: (*b*) quocunq; etiam modo possessiones sive munitiones Domini deterioraverit, (*c*) aut insigne damnum ijs inferri curaverit, (*d*) vel ut inferret, attentaverit, (*e*) vel etiam non impediverit, (*f*) feudo vasallus spoliatur.

(a) *§. similiter 1. F. 5. & 2. F. 6. de form. fidel. versu. Tutum est. Et ibi.* Schenck. *& alii interpretes.* Schrad. *p. 9. c. 3. n. 19. & seqq.* VVesenb. *c. 15. n. 5. idem obtinet, si locus ita oppugnatus fuerit ipsi communis cum Domino, arg. l. 8. l. 13. de servit. pred. urb. l. 47. §. 1. & ll. seqq. ff. pro socio. l. 19. & l. seq. ad l. Aquil.* Rittersh. *l. 2. c. 5. n. 90.* Gothofr. Anton. *disp. 11. th. 6. inf. lit. E.* (b) *Nam sufficit ipsum scivisse, locum quem aggressurus erat, ad Dominum, sive etiam ad uxorem, patrem, filium eiusdem spectare; secus est, si locus alterius extranei sit, tunc enim non nisi sciverit, Dominum vel Dominam, vel ex dictis alium aliquem ibi commorari, privatur. per §. porrò 2. F. 24. d. §. similiter, & ibid.* Gothofr. Sonsbec. *p. 12. n. 35. vers. nec etiam obstat.* Vult. *c. 11. n. 38. inf.* Oldendorp. *class. 5. post. art. 17. in pr. 3. spec. int. Act.* Rosent. *c. 10. conclus. 18. n. 12. & seqq.* Curt. Iun. *p. 4. n. 32.* (c) *facit enim ita contra iusiurandum fidelitatis. 2. F. 6. & 7. §. praeterea 2. F. 24.* (d) *mandando scil. consilium aut auxilium praestando, arg. l. 1. §. deiecisse ff. de vi arm.* Schneidevv. *p. 8. c. 1. n. 155. & seqq.* (e) *v. supra th. 17.* (f) *quantum poterit. arg. 2. F. 57. vel sciens alium male quid moliri, non revelaverit, add. th. 19. &* Rosenthall. *d. l. n. 24. & seqq.* Schon. *d. disp. th. 59.*

XXXV.

Dominum cucurbitans.

Nunc quomodo Dominus ob injurias in personis suæ potestati aut affectui subjectis acceptas (*a*) vasallum privare queat, videbimus. Nihil autem gravius Domino marito, (*b*) ejusque familiæ (*c*) accidere potest, quâm si vasallus ipsum *cucurbitaverit*, (*d*) h. e. si uxorem Domini corruperit, & adulteraverit; (*e*) quod eò extenditur, ut licet sceleris effectu potitus non fuerit, modò illud ipsum, quantum in se fuerit, attentave-

tentaverit, (*f*) sive ad istum turpissimum actum se præparaverit aut exercuerit, (*g*) imò si turpiter tantùm cum ipsa luserit; (*h*) aut inhonestè collocutus fuerit, præsertim si sollicitatio, (*i*) corporis impudica contrectatio, amplexus & oscula luxuriosa (*k*) intervenerint, feudo, quo se monstravit indignum, carere debeat. (*l*)

(a) *In liberis, uxore, sponsa, nuru &c. 1. F. 5. & in §. rursus 2. F. 24. arg. §. patitur. 2. I. l. 1. §. 3. & 9. ff. de iniur.* (b) *iniuria omnium atrocissima, ipsáq; morte acerbior. per l. 8. §. pen. & f. ff. quod met. causa. l. 88. §. matre. 16. ff. de Legat. 2. ibiq; Dd.* (c) *arg. l. 11. §. 3. l. 2. §. pen. ff. ad l. Iul. de adult.* Schenck. *in §. item si fidelis. 1. F. 5. n. 3.* (d) *Hâc voce omnes libidinum impuritates, quas vasallus in personas prohibitas exercuit in materia feudorum significantur. Cucurbita enim Longobardis erat vir uxoris adulterio infamis.* Calvin. *Lexic. Iurid. hoc verbo.* Rittersh. *d. c. n. 38.* Zas. *p. 10. n. 24.* Lindem. *disp. 3. c. 10. th. 30.* (e) *d. §. item si fidelis. 1. F. 5. 17. & 21. §. 2. vers. rursus 2. F. 24. 2. F. 57. ibiq; interpretes communiter.* (f) *arg. d. versic. item si. 1. F. 5. ibi.* Glossa. *in verbo exercuerit &* Hotom. Alvarot. Schenck. Cujac. *& alii: quod tamen ita notanter limitatur, ut non obtineat, si suâ sponte destitisset quodq; facilè potuerat, pœnitentiâ ductus implere noluisset. vid.* Rosenthall. *c. 10. conclus. 28. n. 20. & seqq.* Borch. *c. 8. n. 92.* Bocer. *th. 46.* (g) *1. F. 5. ib. se exercuerit. arg. l. 1. pr. ff. de extr. crim. l. 14. ff. ad l. Corn. de sicar. l. 53. de furtis.* (h) *d. text. 1. F. 5. turpiter luserit. ibiq;* Gloss. Gothofr. Hotom. *& Dd. communiter. arg. l. 10. nam ludi. ff. ad l. Aquil. ludi enim ita exercendi sunt, ut servetur honestas & verecundia castis moribus perseveret. l. un. C. de Maiuma* (i) *arg. l. 9. inf. & seq. ff. de iniur.* Gothofr. *in d. versu. item si. 1. F. 5. lit. P.* Curt. Iun. *p. 4. n. 26. hùc quoq; referunt, si literas amatorias ad eam dederit, aliisvè illecebris & munusculis eius pudicitiam expugnare voluerit.* Rittersh. *d. l. n. 96.* Bocer. *d. disp. 20. n. 44.* (k) *vulgò distinguunt inter oscula charitativa & impudica, de quibus multa tradit* Borch. *c. 8. n. 98. & aliq. seqq. sed hodiè in Germania oscula in secreto fœminæ alienæ impressa, non ex benedicendi, sed turpis amoris & lasciviendi affectu tanquam Veneris ulterioris præparatoria & indicia indistinctè ferè censentur.* Rosenthall. *c. 10. concl. 28. n. 8.* Rittersh. *d. c. 5. n. 95.* Ludwel. *inf. c. 16. Tr. F. nisi*

aliquando

aliquando rei circumstantiæ ad aliam nos vocent interpretationem.
(l) Zasius *p.10. n.24.* Sonsbec. *p.12. n. 25. & 26.* Vult. *d. c. n.31.* Schoner. *d. disp. 10. lib. 1. th. 60. & seq.* VVesenb. *c. 15. n.5.* Clarus *q. 48. n. 1.* Menoch. *lib. 2. arbitr. iud. quæst. 3. cas. 267. n.3,* Schneid. *n. 151.* *Quidam autem hæc notanter restringunt, ut scil. ob turpem lusum, vel aliam lasciviam feudum non amittatur, nisi quoq; in personam & corpus mulieris aliquid inhonestè factum, & attentatum fuerit.* Andr. de Isern. & Afflict. *in d. §. item si fidel. it.* Alvar. *n. 9,* Schrad *p.9. c. 2. n.74.* Rosenthall. *d. concl. n. 3.*

Ejusdem Sponsam filiam, sororem, matrem viduam stuprando.

XXXVI.

Quæ de uxore diximus, ea omnia in *Sponsa* Domini quoque locum habent. (*a*) Communiter etiam æquali severitate illud flagitium in *filia, nepte ex filio, nuru, sorore* in capillo & domo domini adhuc existente, (*b*) ut & in *matre* ejusdem (*c*) admissum, aut tantummodò attentatum (*d*) coercetur. An autem idem juris sit, si *Vidua* Domini à vasallo stuprata fuerit, non immeritò dubitatur: (*e*) nos affirmativæ ut communiori subscribimus. (*f*) Sed de Concubina & quacunque uxore legitimâ, (*g*) ut & de Pedissequa, aut alia Domini domestica (*h*) id negamus.

(a) *arg. l. 15. §. sponsum 24. ff. l. iniur: l. 13. §. 3, ff. ad l. Iul. de Adult. l.7. C. eod.* Vult. *d. c. 11. n.31. versic. quod de.* Zas. *p. 10. n.27.* (b) *text. 1. F. 5. 2. F. 24. §. 2. ibiq; Dd,* (c) Sonsb. *p. 12. n. 28. & seqq. Alii in sorore prius sufficere existimant, non attentâ dist. an nupta sit vel non.* Alvar. *d. vers. 1. F. 5. item si* Zas. *n.25. quos rectè refutat* Vult. *d. n.31. vers. nec distinguitur. add.* Ritt. *c. 5. n.108.* (d) *sive vidua adhuc s. nupta rursus fuerit.* Alv. Afflict. & Schenck. *in d. versic, item si fidelis.* Curt. Iun. *d. p. n. 30.* Vult. *d l. vers. de matre. per Nov. 105. c, 2. pr,* Schon. *th. 62. lit, D. per ea quæ habet* Schon. *d. l. th. 63.* Bocerus. *th. 45.* Schrad. *d. c. n. 82.* VVes. *d, c. 15. n. 5. v. supra th. 17.* Schrad. *d. p. 9. c. 2. n. 12. & seqq. Verùm si cum his personis turpiter tantùm luserit, impudicè easdem deosculando, & contrectando, nec conatus ulterior accesserit, vasallum feudum non amittere, volunt.* Bald. *in d. vers. item si. n. 17. & vers, si cum filia n. 3. inf.* Rosent. *d. concl. 28. n.9. & aliq. seqq.* Rittersh. *n. 94.* Gothofr. Anton. *disp. 11. th. 5. lit. H. idem tamen ad liberos & nurum, non verò ad ceteras extendunt.* Schrad, *d. §. 2, n. 43. & seq.* VVesenb. *c. 15. n.5.*

diss. Curt.

diss. Curt. Iun. *p. 4. n. 28. quem sequitur* Ludvvel. *c. 16. in f.* (e) *per text. in §. fin. 1. F. 21. ibi. vivente marito. & ea qua habet* Schon. *d. l. th. 66. vid.* Rittersh. *n. 103. in f. & alios, quos ibi allegat. Dd. plurimi autem distinguunt, & pœnam privationis non, nisi intra tempora luctus facta fuerit constupratio, locum habere arbitrantur.* Borch. *c. 8. n. 97.* Boc. *disp. 20. th. 57.* (f) *quamdiu scil. in isto statu permanet; id q; ratio honestatis, & defuncti manes postulant. arg. l. 4. §. 16. de dol. except. l. 3. pr. C. de privileg. Schol. lib. 12. l. 8. ff. de Senator. l. 22. §. 1. ff. ad Municip.* Gothofr. *in d. c. de feud. sin. culp. non amitt. 1. F. 21.* [illegible] Andr. de Isern. Alvar. *in d. versic. item si fidelis. n. 2.* Iacob. de S. Georg. *summar. causæ propter quas &c. n. 29.* Clarus. *q. 48.* Zasius *p. 10. n. 27.* Schrad. *p. 9. c. 2. n. 5. & seqq.* Rosent. *d. concl. 27. n. 41 & seqq.* Lindem. *th. 35. d. l.* Arum. *disp. Fend. 8. th.* [illegible] *per Nov. 22. c. 20. §. 1.* (g) *arg. l. 13. §. 6. ff. de adult. & l. 17.* [illegible] *ff. de act. rer. amotar. in pœnalibus enim non facilè admmittitur extensio c. odia de R. I. in 6. l. pen. ff. de pœnis: & cum in istiusmodi matrimoniis prohibitis nulla sit honestas, non videtur Dominus inde in uxore suò ledi.* Vult. *d. n. 31. versic. uxori iure, & seq.* Rosent. *d. concl. 27. n. 16.* Arum. *d. l. th. 7.* Niellius *disp. Feud. 8. th. 5.* [illegible] *B.* (h) *Nec enim hac iniuria tanta est, ut feudum ob id amitti possit.* Curt. Iun. *n. 22. authoritate* Andr. de Isern. Alvar. B. Schenck. *d. ll.* Iacob. de S. Georg. *d. n. 29. in f.* Sonsbec. *p. 12. n. 22.* Gothofr. Ant. *th. 5. lit. F.* Hunnius *d. tr. Feud. c. 14. p. 386.* Rittersh. *d. t. 5. n. 105.*

XXXVII.

Nec liberatur vasallus à pœnâ commissæ libidinis, etiam si dictæ fæminæ consenserint, libidinemq; ab eo expetiverint; (*a*) imò nec tum excusatur, quando ipsæ inhonestè vivunt, & palàm corpore turpem quæstum faciunt, (*b*) modò inscio & invito Domino ita se prostituant: (*c*) præterea eadem pœna manebit vasallum, si alij, ut id faceret, mandaverit, vel stupratorem quovis modo adjuverit: (*d*) privari autem nequit, 1. si Domino sciente & non dissentiente talia perpetret, (*e*) 2. si ex ignorantia probali cùm ijs rem habeat, (*f*) 3. vel si Dominus jam antea cum uxore, filiâ, nepte, sorore sive matre vasalli eadem admiserit. (*g*) *Ampliatur*

(a) *Eadem enim iniuria, sive invitæ sive volentes corrumpantur Do-*

tur Domino inuritur, arg. l. 1. §. 1. usq, adeò. ff. de iniur. Alvarot. & alii in d. §. item si fidelis. Rittersh. n. 99. Schoner th. 64. (b) quia dicti textus simpliciter loquuntur. & gravior censetur iniuria ab amico profecta. Curt. Iun. p. 4. n. 23. Schrad. d. p. 9. c. 2. n. 19. arg. l. 13. §. 2. ff. ad l. Iul. de Adult. (c) Videnti enim & conniventi nulla fit iniuria. l. 1. §. 5. ff. de iniur. imò lenocinii reus, & legum beneficio indignus is erit. Rosent. conclus 27. n. 47. & seq. (d) Delictum mandans non minùs peccat & punitur, quàm perpetrans, §. 11. Inst. d. iniur. l. 7. § ult. ff. de Iurisd. l. 11. §. si mandatu 3. ff. de iniur. ibiq, Gothofr. in not. & Bartol. n. 16. idem est, si consilium & operam suam ad tale quid committendum accommodaverit, 2. F. 6. & 7. per l. 8. & seqq. ff. de Adulter. l. 53. §. f. de V. S. vid. Curt. Iun. d. p. n. 20. vers. 4. nimirum persuadendo, domum & occasionem scienter præbendo, literas amatorias portando, fœminas alteri adulterandas tradendo, modò ultra colloquium ad actum aliquem inhonestum perventum, licet delictum nondum consummatum fuerit. Schrad. d. c. 2. n. 28. Menoch. lib. 2. arb. iud. q. cent. 4. cas. 3[illegible]. Schenck. in d. §. si fidelis. 1. F. 5. n. 11. Vult, n. 31. in f. vers. prima. Schon. th. 61. Nec excusatur vasallus, licet stuprator etiam citra illius oper. & consilium id perpetrare voluisset, & potuisset: de his omnibus multa v[illegible]. tradit Rosent. d. conclus. 28. n. 30. & seqq. conclus. seq. 29. Schrad. d. [illegible] 24. & aliq. seqq. (e) l. 34. C. de Transact. l. 145. ff. de R. I. Ardiz. rubr. 89. Curt. Iun. p. 4. n. 29. in f. arg. vers. Etsi clientulus. 1. F. 13. Gothofr. Ant. d. th. 5. lit. F. id quod in cæteris quoq, commissionis causis omnibus procedit. Zas. p. 10. n. 101. (f) Iacob. de S. Georg. d. l. n. 29. Zas. d. p. n. 27. vers. verùm si vasallus. Vult. n. 31. vers. pen. Sonsbec. p. 12. n. 3. arg. c. in lectum 34. q. 2. & per l. 15. §. 15. ff. de iniur. l. pen. ff. de adult. l. 50. ff. locat. Curt. Iun. n. 20. inf. (g) Paria enim delicta mutuâ compensatione tolluntur. l. 36. ff. de dolo. l. 39. ff. solut. matrim. l. 154. de R. I. c. intelleximus 6. X. de adulter. quia Domino fidem frangenti non tenetur fidelis esse vasallus, & indignus videtur legis beneficio, qui ipse in eam deliquit. l. 37. ff. de minor. c. quia frustra 14. X. de usur. Schrader. d. c. 2. n. fin. Rosent. conclus. 29. n. 44. & seq. Schoner. d. th. 65. Notandum quoq, est quòd ea, quæ de culpâ venereâ in masculis statuta sunt, in fœminis quoq, obtinent: ut cum fœmina vasalla cum marito Dominæ rem habeat; non verò extenditur ideò, ut si cum filio, aut

patre

patre ejusdem se illicitè commisceat, feudum quoq; perdat, per ea quæ habet Rosent d. conclus. 29. n. 34. cum non tantu habeatur læsa pudicitiæ ignominia in masculis quàm in fœminis.

XXXIIX.

Nec tantum hâc probrosâ libidine, verum etiam alijs injurijs atrocibus & inhonestis, (a) quæ personis Domino necessitudine aut fœdere junctis (b) illatæ sunt, ipse Dominus æquè graviter offenditur, (c) quia & vasallus sui juramenti immemor non immeritò id amissione feudi luere tenetur: (d) quod tamen vix aliter obtinere putamus, quàm si Dominus grave damnum inde sentiat, (e) vel tale quid in odium & contemptum ipsius Domini factum fuerit. (f) Personis Domino conjunctis lædendis

(a) §. 2. *vers. porrò.* 2. F. 24. *vid. supra th.* 13. (b) *cognatis, affinibus, domesticis, subditis, servis, amicis, nunciis, vicario, itineris vel habitationis sociis* Schrad. *p.* 9. *c.* 4. *n.* 3. *& aliq. seq. & ex eo* Schoner. *disp. d.* 10. *th.* 65. (c) *l.* 1. *§.* 3. *& s. ff. de iniur. l.* 18. *eod. iuncto* §. *f. I. de Nox. Act.* VVesenb. *in par. de iniur. n.* 6. *ibiq.* Bach. (d) *text.* 2. F. 7. *de nov. form. fidel. ibi. nunquam aliquid ex persona mea faciam, quod pertineat ad tuam tuorumvè iniuriam vel contumeliam.* Iacob. de S. Georg. *d. l. n.* 41. Schonerus. *d. disp. th.* 67. Vult. *n.* 32. (e) Rosent. *conclus.* 35. *& alibi passim.* (f) *Sic interfector fratris Domini feudo non privatur, nisi in odium Domini id factum fuerit,* 2. F. 37. *ibiq. Dd.* Rittersh. *in f. n.* 112. *eadem ratio est, si convasallum suum occiderit.*, Rosent. *conclus.* 36. *n.* 28. *de odio autem hoc constare potest ex verbis per vasallum prolatis, ut tradit ex glossa. in l. apud Celsum* 4. *pr. ff. de Except. doli.* & Baldo. *cons.* 137. *vol.* 1. Mozz. *c. f. n.* 61. Schoner. *d. l. lit. A. adde* Schrad. *hæc latè pertractantem d. c.* 4. *p.* 9.

XXXIX.

Hactenus delicta in Dominum commissa exposita sunt: nunc quomodo vasallus in alios delinquendo feudo cadat, videbimus; quod fit 1. Ob Parricidium perpetratum, (a) quacunque de causa id factum fuerit, (b) etiamsi tantummodò attentatum, nec effectus & mors subsecuta sit: (c) idem est, si ab alio susceptum parricidium quocunque modo adjuvet, (d) vel ejusdem conscius non revelet, aut pro viribus impediat. Parricidium perpetrans.

diat. (e) An autem feudum quòque amittatur, (ita ut liberi non succedant in eo) si vasallus sibi ipsi violentas manus intulerit, Dd. variè disquirunt. Nos negativam veriorem arbitramur. (f)

(a) *Si vasallus personam aliquam interficiat, unde parricida dicatur. vid. l. 1. & t. t. ff. ad l. Pomp. de parricid. text. expr. in §. fin. 2. F. 24. ibiq;* Schenck. *n. 3. 1. F. 5. ibi. si fratrem occidit, vel nepotem, id est filium fratris. & 2. F. 37. quod Dd. communiter ita declarant, ut feudum committatur, quando vasallus aliquem ex descendentibus aut ascendentibus in infinitum, ex collateralibus usq; ad quartum gradum, item quando coniugem, nurum &c. interfecerit.* Schrad. *p. 9. c. 3. n. 25. vers. secundò hec.* Curt. Iun. *n. 39.* Rittersh. *n. 113. qui n. seq. idem ad vasalli compatrem (patrem spiritualem) extendit.* (b) *reiectâ vulgari limitatione, si spe feudum totum retinendi id fecerit* Rosenthall. *concl. 36. n. 3. & 6.* Schoner. *disp. 10. n. 70. lit. F.* Rittersh. *n. 111.* Vult. *n. 34.* Matth. de Afflict. *in d. t. 37. F. 2. n. 14.* (c) *l. 1. in f. l. 7. ff. de Parricid. ut si insidias struxerit, aut venenum emerit, ut patri daret, quamvis non potuerit dare; item pecuniam subministrans, ut tale quid fieret.* Schenck. *d. l.* Alvarot. *Prepofit. in d. §. deniq; 2. F. 24.* Gail. *de pac. publ. c. 14. n. 20. lib. 1.* Curt. Iun. & Vult. *d. ll.* (d) *quod etiam in extraneo locum habet. l. 2. & 6. d. t. de parricid. §. 6. I. de publ. iudic.* Schrader. *d. l. n. 31. & seqq.* (e) Bocerus *d. disp. th. 101.* Gothofr. Ant. *disp. 11. th. 7. lit. A.* Rittersh. *n. 116. idem obtinere volunt, si vasallus ex dictis personis aliquem iniustè carceribus incluserit, aut carceri mancipandum tradiderit. arg. l. 7. §. 1. quod met. causa. Nov. 115 c. 3.* Curt. *d. n. 39.* Zas. *p. 10. n. 66. Natta consil. 174. n. 13.* Vult. *n. 34. in f.* Rosenthall. *d. conclus. 36. n. 36. & seq.* (f) Clarus §. *Feudum q. 58. authoritate* Baldi & Iacob. de S. Georg. *quod tamen ita à plerisq; limitatur, ut, si ob conscientiam eiusmodi criminis, propter quod si condemnatus fuisset, feudi dispendium quoq; fecisset, voluntariâ morte supplicium antevertere conatus sit, feudo cadat, si fortè vulneri supervixerit, vel eo defuncto hæres; nisi hic de innocentia illius fidem facere possit.* Alvar. *d. t. 37. F. 2. n. 7.* Schrad. *d. c. 3. n. 63.* Sonsbec. *p. 12. n. 56. arg. l. 1. §. 22. ff. de Silan. t. t. C. & l. 3. §. 4. ff. de bon. eor. qui ant. sent. mort.*

XL.

Eâdem severitate punitur vasallus, qui contra convasal-

lum

lum vel alium quemcunque (a) aliquid *proditoriè* (b) *machinatum* fuerit, hominem scilicet tradendo, (c) veneno, ex insidijs, aut sub specie amicitiæ aliquem subdolè occidendo, aut graviter vulnerando: (d) multò magis autem hoc procedit, si in Imperatorem, Principem imperij, sive aliquam universitatem insidiosè quid perpetret; (e) hinc *crimen læsæ Maiestatis*, vel *Rebellionis* committens, (f) aut etiam reus *Hæreseos* (g) inter alias gravissimas pœnas feudo quoque privatur.

1. Proditionis, 3. læsæ Maiestatis, 4. hæreseos reus.

(a) *Nullâ adhibitâ distinctione, adversus quem delinquat, per ea, quæ habet* Schoner. *th. 73. dissent.* Hotom. *& qui eum sequuntur* Bocer. *th.104.* Rittersh. *n. 119.* Ludvvel *in f.d.c.17.* (b) *h.e. perfidè* heimlicher/ Schelmischer weise/ *quis autem propriè proditor dicatur, notat* Curt. Iun. *p. 4. n. 43. ex* Bartol. & Baldo. Borcholt. *n. 125.* (c) *text. in t. 37. F. 2.* Gloss. *& Dd. in versic. item si fratrem 1. F. 5.* Schrader. *d.c.3. n. 64. & seqq.* Vult. *d. c. 11. n. 35.* Rosent. *conclus. 36. n. 29. & aliq. seqq. Est enim famosum & maximè detestandum crimen proditionis, & proditores magis nefarii & exosi omnibus mortalibus quam homicidæ sunt; quod probat* Borch. *d. l. & præcit. Dd. quapropter in curia Domini stare haud poterunt.* Schneidevv. *n. 164. p. 8.* (d) *in d. t. 37. F. 2.* Baldus. Iac. de Belvis. Andr. de Isern. Alvarot. Præposit. *n. 3. & alii.* Rosenthall *c. 10. concl. 10. n. 14. usq. ad finem.* (e) Schneidevv. *d. l. n. 163.* Schradet. *d. c. 3. n. 64. versic. item si quis, secuti* Socinum *consil. 68. n. 88. vol. 3.* (f) *quæ crimina, quomodo inter se differant, & adversus quos committantur, tradunt Dd. in §. 1. I. de publ. ind. & l. quisquis. 5. C. Ad L. Iul. Mai. add.* Rosenthall. *concl. 35.* Rittersh. *n. 124.* Bocer. *th. 106. per c. fœlicis §. si qua verò, de pœnis in 6. & c. in quibusdam §. sacri X. eod.* Borch. *c. 8. n. 106. & in cap. quæ sunt Regalia. n. 88. & seqq.* (g) Sonsb. *p. 12. n. 141. arg. §. fin. hic finit. lex. & §. ex hoc illud. de feud. fœminæ 2. F. 30.* Moz. *d. c. f. n. 74.* Matt. de Afflict. *in d. §. item si fidelis.* Gigas. Baldus *& alii quos citat* Schonerus *d. disp. n. 74.* Gœddæus. *disp. Feud. 9. th. 7. lit. E. arg. l. Manichæos 4. C. de hæret. l. pen. de Apostatis. & lit. D. ubi. præterea ex* Schrad. *&* Vult. *monet, quod supervacaneum sit, de his hic pluribus tractare, cum tale quid perpetrans ultimum supplicium effugere hodiè non possit, morte autem feudum amitti & devolvi indubitatum sit.*

9. Inceſtas, aut nefarias nuptias contrahens.

Sic etiam feudo indignus cenſetur, qui *inceſtas & nefarias nuptias contrahit*, aut aliàs inceſtu polluitur: (*a*) & quamvis in eo ipſe Papa diſpenſet, feudum tamen nihilominùs amittitur. (*b*) Qualis autem inceſtus (*c*) hic intelligendus ſit, non ſatis inter Dd. conſtat. Nos in mitiorem partem inclinantes de eo tantummodò inceſtu hoc verum arbitramur, qui jure gentium, non qui mero jure civili prohibitus eſt. (*d*) Adulterium verò & ſtuprum in fœminam extraneam â vaſallo commiſſum tàm gravem pœnam non mereri. (*e*) verior & receptior ſententia eſt: cum tamen eum, qui infamis eſt infamia juris in curia Domini honeſtè ſtare, & conſequenter, feudum retinere vix poſſe, plerique ſtatuant. (*f*)

(a) *arg. d. t. 37. ut & 56. F. 2. ibiq; Dd. commun.* Iacob. de Ardiz. *d. t. 5.* Borch. *d. c. n. 105.* Intrigl. *Q. F. 91. n. 80. & ſeq. vid.* Schon. *& pl. alii eidem cit. th. 74. lit. B. Quamvis enim aliàs mitiùs inceſtus ſub ſpecie matrimonii commiſſus, quàm ſub ſpecie fornicationis puniatur. per l. 4. & 6. iunctâ Auth. ſeq. Inceſtas. C. de inceſtis & inutil. nupt. tamen hic quoad amiſſionem feudi non diſtinguitur.* Rittersh. *n. 122.* VVeſenb. *c. 15. n. 5. inf. tit.* Bald. *in l. 1. n. 51. ff. d. R. Div.* (b) Alvar. *ind. §. item ſi fidelis. n. fin.* Schenck. *eod. n. fin.* Zaſ. *p. 10. n. 29.* Curt. Iun. *n. 40.* Schrader. *d. p. 9. c. 3. n. 1.* Vult. *n. 36.* Sonsb. *p. 12. n. 57. & 58.* Schneid. *n. 154. rationem autem huius non in eo, quod bona vaſalli inceſtuoſi confiſcantur, ſed in criminis huius turpitudine ponimus.* (c) *adde* Rittersh. *ſpecies inceſtus latiùs explicantem d. c. n. 120. & ſeqq.* (d) *per ea, quæ habet* Sonsbec. *d. l.* Borch. *n. 105. multò minùs id concedemus de nuptiis, quæ iure canon. pro inceſtis habentur. c. de inceſtis, ubi* Gloſſ. *35. q. 1. & 2.* (e) *Cum propterea neq; exhæredatio locum habeat. Nov. 18. c. 5. & 115. c. 3. neq; donatio revocetur, arg. l. ult. C. de revocand. don.* Vult. *n. 36. verſ. quod ad adulter.* Bocer. *n. 107.* Gothofr. Ant. *diſp. 11. th. 7.* (f) *Si tantum dedecus ex quopiam ſcelere in ſe recipiat, ut indignus honeſtorum conſortio cenſeatur. arg. t. 37. F. 2. ibiq;* Gloſſ. *& Dd. huc facit. l. 8. §. 9. ff. de Excuſat. l. 4. §. 6. & ſeq. l. 13. §. 3. ff. de re milit. l. 2. C. de dignit.* Roſent. *concluſ. 36. n. 44. & ſeq. & quos allegat. in gloſſ. lit. K. & lit. π.* Schneidevv. *p. 8. n. 74.* Schrad. *p. 9. d. c. 3. n. 70. ubi tamen inſ. excipit feuda Regalia.* Gœdd. *d. diſp. 9. th. 7. inſ.*

XLII. Hæc

XLII.

Hæc de culpis commissionis dicta sufficiant: sequitur nunc *ingratitudo*, quæ *in omittendo* sive negligendo consistit, similiter paucis à nobis adumbranda. Generaliter autem toties officium suum negligere, beneficioq; se indignum reddere vasallus censetur, quoties jurisjurandi & Domini sui contemptor debitam fidem, reverentiam, taciturnitatem, & servitia ei non præstat. (*a*) Nec tamen omne id, quod contra formam & contenta juratæ fidelitatis vel fit vel negligitur, sed quod in Domini insignem injuriam & damnum vergit, feudi privationem meretur, quod in dubio ex circumstantijs suæque curiæ, nec non generalibus consuetudinibus prudens & competens judex æstimabit. (*b*) Omissionis culpa.

(a) *Sive expreßè sive etiam tacitè diutinâ scil. procrastinatione officium suum facere renuat.* §.2. *vers. preterea.* 2. *F.* 24. *&* §.7. 2. *F.* 26. *add. c. un. de Nov. form. fidel.* 2. *F.* 7. *it.* 1. *F.* 21. 2. *F.* 55. *quandoq; tamen, si non interpelletur, propter omissionem non privatur, de quo in sequentibus. vid.* Schoner. *th.* 77. (b) *arg. versic. illud enim.* §. 2. 2. *F.* 24. 2. *F.* 28. §. 1. *ibiq;* Schenck. *n.* 3. *&* 5. *&* *Feudistæ communiter, juncto vers. quomodo enim vasallus* 2. *F.* 23. Vult. *d. c. n.* 11.

XLIII

Inter dictas autem omissionis culpas specialiter expressas primum locum obtinet: Si vasallus renovationem investituræ intra tempus lege præstitutum petere neglexerit; (*a*) certa enim & in plerisque curijs recepta lex est, quòd omnis (*b*) vasallus, si Dominum mori vel mutari contigerit, ab hujus successore; vel si ipse vasallus moriatur, ipsius hæres feudalis à Domino eodem intra annum & diem (*c*) renovationem petere, & admissus fidelitatem jurare, sub amissione feudi, teneatur. (*d*) Renovationem investit. ultra annum & diem differens.

(a) *per textus infra. lit. D. cit.* VVesenb. *d. c.* 15. *n.* 7. *& Dd. communiter. Subintelligendum. si sine justâ causâ id facere distulerit: offerre se autem ad hoc tenetur vasallus, nec opus est, ut specialiter citetur & interpelletur, cum dies certus pro homine interpellet. l.* 2. *C. de jure emph. l.* 12. *C. de contr. & com. stip. secus est, in concessione nova investitura.* Sonsbec. *p.* 11. *n.* 8. VVesenb. *c.* 8. *n.* 1. *& seq.* Vult. *c.* 7. *n.* 60. *&*

n.60. & seqq. add. Ludvvel. *c.11. de Renovatione F.* (b) *etiamsi vasallus dignior, si à Domino viliore feudum possideat; idem quoq; in Ecclesia, ut & fœminâ vasallis obtinet.* Rosenthall. *c. 6, conclus. 31, Minor dubitandi ratio videtur esse in successore singulari, aut in rustico de feudo exiguo.* Curt. *p. 3. memb. 1. n. 14.* Vult. *d. l. n. 38. & 95. reiectâ contraria* VVesenb. *opinione. Speciali autem favore militiæ militibus annum & mensem ad petendam investit, concessum legimus, 1. F. 22.* (c) *Ratio certi hujus temporis certa dari nequit. De iure Sax, spacium anni & 6. septimanarum conceditur.* Schrader. *p. 7. c. 2. n. 77.* (d) *text. in pr. 2. F. 24. t. 40. pr. de cap. Corrad. t. 52. §. f. de prohib. al. per Loth. t. 55. pr. in f.* Schoner. *th. 83. & Dd. ibidem citati. Idem prorsus obtinet, si quidem feudum debito modo recognoscat, iuramentum autem fidelitatis præstare renuat, modo feudum tale sit, pro quo fidelitas iuratò promitti debeat. 2. F. 24. §. 1. ibiq; Dd. commun.* Duar. *c. 14. n. 3.* Curt. *d. l. n. 58.* Borch. *c. 7. n. 29.*

XLIV.

11. Exceptiones à d. causa — Excusantur tamen vasalli à caducitatis pœnâ, qui non dolosè per annum & diem steterunt, & fidelitatem non præstiterunt. *(a)* Quales sunt; 1. qui casum feudi aperti (das sich ein fall begeben) ignorant; *(b)* 2. Impuberes: *(c)* sic etiam Minorennibus per beneficium restitutionis in integrum succurritur. *(d)* Remittitur etiam hæc pœna ijs, qui ob legitimas causas & impedimenta petitionem investituræ ultra præfixum tempus distulerunt: cujusmodi sunt, 3. capitales inimicitiæ inter Dominum & vasallum sine hujus culpa exortæ *(e)* 4. contentio duorum vel plurium de successione defuncti Domini, *(f)* 5. absentia Domini quæcunque, sed vasalli non nisi justa & necessaria. *(g)* 6. possessio tertij. *(h)* 7. Vasalli incarceratio. *(i)* 8. morbus vasalli sonticus. *(k)* 9. mors sive vasalli sive Domini intereà temporis superveniens *(l)* 10. infamia Domini notabilis, *(m)* & 11. denique quivis metus justus. *(n)*

(a) *arg. c. quo tem. mil. 1. F. 22. ibi. sine iusta causa. 2. F. 24. pr. & §. 5. 2. F. 52. §. fin.* Schon. *d. disp. th. 84.* (b) *Hoc enim tempus ratione principii utile est, nec à mortis aut mutationis, sed à scientiæ die currere incipit. 2. F. 24. d. pr. 2. F. 40. arg. l. 2. ff. quis ord. in bon. poss. serv.*

poss. serv. l. 2. C. qui admitt. ad bon. poss. Zas. *p. 7. n. 32. & seq. per* Gloss. *in verbo infantia d. c. quo temp. mil.* Alvar. *in d. pr. n. 1. 2. F. 24. idem obtinet, si ignoret, rem esse feudalem. arg. §. si vasallus & §. vasallus 2. F. 26. junctâ l. 42. ff. de R. I.* Mynsing. *Obs. 9. n. 8. cent. 5.* Moz. *c. 5. n. 52.* Schrader. *p. 6. c. 2. n. 51. Crassa autem & stolida ignorantia non excusat: ut si quis id, quod omnes eius loci norint, nescire se dicat arg. d. vers. fin. pr. 2. F. 55. junctâ l. 12. ff. de transact. l. 6. ff. de I. & Fact. ign. quæ propè fraudem est, & dolo æquiparatur. l. 32. ff depositi. l. 1. §. 1. si mens. fals. mod. dix.* Alvar. *d. l.* Clarus *q. 49. n. 3.* Gail. *2. observ. 40. n. 1. & 8.* (c) *Annum 14. nondum egressi 1. F. 22. 2. F. 55. in f. pr. cum nec doli capaces sint, l. 1. vers. impuberes. C. de fals. monet. nec iuramento efficaciter obligentur 2. F. 26. vers. si minori & seq. ibiq; Dd.* Rittersh. *n. 44. imò licet malitia ætatem suppleat, aut tutores habeant, nihilominùs ab hac pœna immunes eos esse* Iacob. de S. Georg. *sup. verb. qui quidem investiti. n. 50. & 53.* Alvar. *in d. §. si minori. n. 1. & seqq. si de feud. def. contr.* Sonsbec. *p. 11. n. 22. volunt; impubes autem I. F. habetur tàm fœmina quam mas indistinctè usq; ad annum 14.* Schneidevv. *p. 5. n. 29.* Borcholt. *c. 8. n. 17.* Vult. *c. 7. n. 63. in f. Eodem modo, si Dominus infans vel infantiæ proximus sit, ita ut non intelligat, quid agatur, nec tutorem habeat, vasallum quoq; à petitionis necessitate immunem esse, quousq; Dominus vel tutorem acceperit, vel infantiam egressus sit, docet* Schneidevv. *p. 5. n. 46.* (d) *usq; ad annum 29. ex communi Dd. sententia.* VVesenb. *c. 8. n. 8.* Clarus *q. 49. n. 5.* Schoner. *th. 55. lit. D. & E. de quo tamen dubitat* Rittersh. *d. n. 44.* (e) *vel aliæ graviores; quæ autem tales sint, iudex arbitrabitur.* Borcholt. *d. c. 8. n. 12.* Zas. *p. 7. n. 4. quin iis durantibus nec salvo conductui à Domino oblato fidem habere tenetur, nec procuratorem ideò mittere.* Rosent. *c. 6. conclus. 53. Inimicitiæ etiam cum tertio, ob quas vasallus tutò Dominum adire nequit, excusationem præstant.* Sonsbec. *d. p. 11. n. 20.* Schneid. *p. 5. n. 45.* (f) *si scil. antequam lis super feudo mota decidatur, præfixum tempus elapsum fuerit.* Schrader. *p. 6. c. 2. n. 22. & seq. ubi idem extendit, quando vasallo ab alio de feudo quæstio mota sit.* Rittershus. *d. n. 44.* (g) *nisi Dominus procuratorem ad hoc domi reliquisset.* Schneid. *d. l. n. 39. Alii existimant, vasallum absentem debere procuratorem ad petendam investituram mittere, maximè si voluntariè absit.* Rosent. *c. 6. conclus.*

50. n. 5. & 6. Rittersh. *d. l. quod cum hoc moderamine intelligendum docet* Vult. *d. l. n. 74. in f. si ipso vasallo præsente tempus currere cœperat, secus si fortè ipso absente Dominus moriatur: idem tradit.* Rof. *d. l. in f.* (h) Alvar. *ad d. pr. 2. F. 24. n. 11.* Schneid. *d. p. n. 35.* Hartm. Pist. *p. 2. q. 20. n. 31. modò suâ latâ culpâ possessione non destituatur, nec eam revocare negligat. arg pr. c. per quos fiat invest. 2. F. 3.* Schrad. *d. p. 6. c. 2. n. 25.* Vult. *c. 7. n. 82.* Rosent. *c. 6. concl. 46.* Borch. *p. 8. n. 22.* Clarus *d. q. 49. n. 8.* (i) *sive iustè s. iniustè incarceratus fuerit; hoc casu tamen, si possit, procuratorem mittere debet.* Schrader. *d. c. 2. n. 42.* Schoner. *th. 98.* (k) VVesenb. *c. 8. n. 7.* Sonsbec. *p. 11. n. 20.* (l) *quo utroq; casu tempus de novo incipit currere, arg. l. 1. §. 1. & 10. ff. & l. 2. C. de success. edict. l. f. C. qui admitt. ad bon. poss. §. f. I. de bon. poss. in feudo antiquo scil. non verò in novo, ubi computatur* Curt. Iun. *p. 4. n. 51.* Borcholt. *d. c. 8. n. 8. & 9.* Gail. *2. obs. 50. n. 7. & seqq. ut etiam secundum quosdam in Hæreditario.* (m) Vult. *n. 73.* (n) *qui in virum constantem cadere possit: cuiusmodi sunt periculum pestis, incursus latronum aut hostium tempestates & inundationes, & similes causæ, arg. l. 2. §. 3. & 4. ff. si quis caut. in indic.* Zas. *p. 7. n. 7.* Sonsbec. *p. 11. n. 23.* Mozz. *c. 5. n. 45. vers. secundò.* Vult. *d. l. n. 83. Circa hæc controvertitur: An vasallus de impedimento protestari debeat? quod negandum putamus; modò aliunde de eo satis constet, quamvis fortè protestationem adhibere & consultius & usitatius sit.* Rosent. *d. c. concl. 46.* Vult. *c. 7. n. 87.*

XLV.

Servitia debita præstare recusans.

2. Sed non est alia justior beneficij aufferendi causa, quam si *servitia*, propter quæ illud concessum fuerit *(a) facere recusaverit; (b)* modò ab eo servitia ista postulata fuerint, cum ultrò ea Domino offerre non teneatur. *(c)* Nec tantùm de personalibus verum etiam de realibus servitijs id intelligendum putamus: ut si vasallus annuum canonem, decimas, sive aliud, quod in investitura juratò se daturū promisit, per trienniū *(d)* solvere cessaverit: *(e)* quamvis non desint, qui hanc causam, ut jure feudali non expresse positam, prorsus reijciunt. *(f)* Impunè verò hoc vasallus feret, si legitimas causas suæ omissionis habuerit, aut impossibilitate suo dolo vel culpâ non causata *(g)* aut affectatâ impeditus fuerit. *(h)*

(a) Qua

(a) *Quæ vel nominatim promisit, vel tacitè: quando enim nil certi de iis convenit, ea quæ ex natura feudi, & consuetudine loci debentur, subibit: quando verò ad certum servitium feudum concessum fuit, ad illud tantum, non etiam ad alia præstanda obstrictus erit,* Borcholt. *c. 8. n. 111.* (b) *1. F. 21. ibi. si deservire dominus noluerit, condictio causa data proponitur &c. 2. F. 24. §. 2. vers. sed non. 2. F. 55. §. firmiter, & interpretes unanimiter.* (c) *2. F. 26. si de feud. def. controv. vers. Etsi vasallus, & vers. Licet, ibiq;* Schenck. *& alii.* Gothofr. *ibid. & ad t. 21. F. 1. lit. N.* VVesenb. *c. 15. n. 7. Quod rursus limitatur, ut etiam absq; ullâ interpellatione hac culpâ feudum amittatur, si ex conventione certis diebus servitia præstanda sint, aut si Dominum in magno periculo versari sciat, vel ex loci consuetudine denunciatione non sit opus.* Rosent. *c. 8. conclus. 20. n. 6. & 7.* Curt. Iun. *p. 4. n. 61.* Gothofr. *ad versic. Non est alia. 2. F. 24. lit. B.* (d) *argumento ducto ab Emphyteusi. l. 2. C. de iure Emph. l. 32. in f. C. de Episc. aud. arg. l. 31. ff. ad l. Aquil. in casu scil. ubi de certo termino conventum non fuit.* Vult. *n. 49.* (e) *per text. generalem in d. versic. non est alia, & ibi* Baldus & Alvar. *n. 5. æquius tamen quibusdam videtur, ut termino effluxo admoneatur vasallus; quòd si tunc nihilominus contumaciter solutionem recuset, maximè si feudum principaliter ob canonem concessum fuerit, nullum est dubium, vasallum feudo cadere: quod si enim iure suo Dominus ita defraudaretur impunè, iniquissimè cum ipso ageretur.* Curt. Iun. *n. 78. & seq.* Sonsbec. *p. 12. n. 64. & seqq.* VVesenb. *d. n. 7.* Vult. *d. l.* Mor. *c. ult. n. 114. & seq.* Bocerus. *disp. 20. th. 124.* Gothofr. Ant. *disp. 11. th. 8. lit. E.* Lindem. *d. c. 10. th. 46.* Ludvvel. *c. 18. ita quoq; statuunt,* Ioan. de Imola. Matth. de Afflict. Albert. Brun. Laurent. Sylvanus. *quos citat* Rosenthall. *c. 10. conclus. 34. n. 4. & 5. & in gloss. lit. B. hunc vid. n. 1. & seqq. n. 45. & 57. d. l. nec contrariatur* Schrader. *p. 9. c. 6. n. 75. & seqq.* (f) *quos allegat* Schrad. *d. l. &* Rosent. *in gloss. lit. G. d. l. add.* Rittersh. *n. 65. & 66.* (g) Andr. de Isern. & Alvar. *in d. versic. sed nec alia: sic etiam passim in iure feudali statutum est, quòd, quoties vasallus sua culpâ effecerit, ut non possit ex feudi fructibus servitia Seniori præstare, toties is feudo privari possit. arg. 2. F. 52. & 55. ibiq; Dd.* Bocer. *d. disp. th. 64.* Ritt. *n. 69. in f.* (h) *d. versic. Nec est alia, ibi. quia non potuerit. & 2. F. 55. ibi temerè supersederit.* Alvar. *in d. vers. Nec est, n. 8. & seqq.*

Curt. Iun. *d. n. 61.* Vult. *n. 22. regulariter autem per substitutum idoneum Dominoq; acceptabilem servire potest. §. 5. 2. F. 26. §. firmiter 2. F. 55. ibiq; Dd. idem confirmatur c. extr. 2. F. 99. in f. & seq.* Schenck. *ad d. versic. Nec est alia. n. 5. & 6. nec facilè excusatur, si alium mittere potuerit. Idem. n. f. d. l. add.* Schrader. *p. 6. c. 6.* Rosenthall *c. 10. concl. 23. & 15. n. 7. usq; ad 13.*

XLVI.

Periculum Domino non indicans, non redimens eum ab hostibus, non alens,

3. Vasallus feudo exuitur: si, postquam resciviffet, Domino magnum periculum, veluti assultum, mortem, corporis capturam, grandem patrimonij jacturam aut simile quid imminere, eum, quàm citissimè potuit, certiorem facere sive dolo s. negligentia supersederit, *(a)* aut quantum potuit, ipse damnum non averterit & impediverit. *(b)* 4. Si Dominum ab hostibus captû, cum id sciret & posset, non redemerit, *(c)* aut aliàs carceri injustè inclusum *(d)* non liberaverit. 5. Si Dominum inopem pro quantitate feudi alere neglexerit. *(e)*

(a) *§. 2. versic. praeterea 2. F. 24. ibiq;* Glossa. *versic. licet. 2. F. 26. versic. Adhac in f. 2. F. 28. versic. fin. 2. F. 39.* Alvarot. Schenck. *& alii in d. versic. praeterea.* Borcholt. *c. 8. n. 106.* Moz. *c. ult. n. 103.* Duar. *c. 14. n. 10.* (b) *2. F. 6. & 7. versic. Etsi scivero.* Sonsbec. *p. 12. n. 15.* Clarus. *q. 57. in f.* Curt. Iun. *n. 59. ubi dicit, quod communiter Feudistae scribant, vasallum in casu, quo non potuit certiorem dominum facere, non excusari, si non fecit resistentiam, quantum potuit. per l. 13. §. 7. ff. locat. l. 1. §. 18. l. 3. ff. de Silaniano. l. 50. l. 109. de R. I. l. 9. §. 1. ff. ad L. Corn. de falf. l. 5. C. ad l. Iul. Mai. & 86. dist. c. facientis culpam 3.* (c) *§. 2. versic. vel si cognoverit. 2. F. 24. ibiq;* Gothofr. Rittershus. *n. 60. & seq. quod ita declarant, ut etiam pro redemptione domini ab hostibus vel latronibus capti pecuniam contribuere debeat, in casu scil. ubi proprium Domini patrimonium ad id non sufficit, nec alio modo liberatio fieri commodè queat.* Schneidevv. *n. 76. & aliq. seq.* (d) *Quòd si suâ culpâ legitimè incarceratus fuerit, liberare eum non tenetur.* Isern. & Alvar. *in d. versic. item si delator. 2. F. 24.* Clarus. *q. 24.* Borcholt. *n. 113. & seqq.* Schoner. *th. 114. lit. C.* (e) *Dominum etenim incolumem servare. 2. F. 6. & in necessitatibus ipsi subvenire tenetur §. lu ea. 2. F. 20. iuncta l. 1. C. de operis libert. l. 2. C. de patr. qui fil. distrax. & l. 5. §. 18. & seq. ff. de*

ff. de agnosc. & al. liber. quæ alimentorum præstatio pro feudi quantitate moderanda est, ita quidem, ut ei dimidia pars fructuũ annuorum, si tantum alimenta Domini desiderant, suppeditetur. arg. tex 4. ibi. pro quantitate F. 2. t. 55. F. 2. §. firmiter ibi. dimidium reditus. Nicol. Everhard. *in top. legal. in loco à liberio ad vasallum. n. 14.* Schrader. *p. 9. c. 8. n. 12. & seq.* Curt. Iun. *n. 9. d. p. 4.* Bocer. *th. 55. disp. 19.* Rittersh. *n. 62.*

XLVII.

6. Quando vasallus Dominum in prælio campestri, imò in quavis alia pugna & rixa periclitantem non adjuverit, *(a)* eum nec mortuum nec mortiferè vulneratum in acie deseruerit, *(b)* sive dolo, s. culpâ id factum fuerit, *(c)* sive ista desertio Domino nocuerit, sive non: *(d)* secus est, si quantum potuit, Dominum adjuverit, *(e)* mutilatus autem, aut graviter vulneratus, *(f)* aut victoriam & liberationem Domini omninò desperans *(g)* fugâ sibi consuluerit: *(h)* eum quoque, qui, cum Dominum in injusto bello *(i)* juvare cepisset, pœnitentiâ ductus postea voluntatem mutavit, impunè Dominum deserere, putamus. *(k)* **Dominum periclitantem deserens.**

(a) *text. in t. 17. & 21. F. 1. t. 26. F. 2. §. licet vasallus* Sonsbec. *p. 12. n. 12.* Vult. *c. 11. n. 19. vers. quod autem.* (b) *1. F. 5. & ibi* Gothofr. *lit. K. 2. F. 24. §. item qui Dominum 2. vulneris qualitas autem an lethalis fuerit, vel non, iudicis arbitrio definienda relinquitur.* Borcholt. *c. 8. n. 89.* Rittersh. *d. c. 5. n. 49. & seq.* (c) *Nam & si per errorem Dominum lethaliter vulneratum existimasset, nihilominus feudo privandus esset. per d. §. 2. ibi. aut negligentiâ suâ.* Sonsbec. *d. n. 13. quem sequuntur* Rittershus. *n. 51.* Bocerus. *th. 113. disp. 20.* Rosent. *c. 10. conclus. 16. n. 2.* (d) *quia vasallus, quantum in se fuit, perdidit & prodidit Dominum.* Duar. *c. 14. n. 6.* Rosent. *d. l. n. 5. & Dd. communiter contra* Zasium. *p. 18. n. 10. Idem etiam obtinet, licet Dominum in nondum præsenti periculo constitutum deseruerit, quoniam exemplo suo nocuit, & Dominum præsidio orbatum hostibus obiecit.* Rittersh. *n. 52.* Bocer. *th. 114.* (e) *ipse scil. non enim relevat fugientem, quod frater ipsius Dominum constanter defenderit. l. 45. l. 52. §. f. ff pro Soc. l. 51. Ad L. Aquil.* Vult. *n. 19.* Borch. *n. 87.* Ros. *d. l. n. 9. contra* Bald. Alv. Iason. Goth. Schr. *p. 8. c. 6. n. 91. Civitas tamen, quæ ab*

 aliquo

aliquo feudum possidet, licet pars quædam Dominum suum in periculo deseruerit, feudi parte non mulctatur, arg. §. 6. l. de R. D. & l. 6. §. 1. ff. eod. ibiq; Dd. Curt. *d. p. n. 19.* Rittersh. *c. 5. q. 58.* (f) *Et sic ad præliandum inutilis redditus; clamore tamen adhuc, si Domino prodesse possit, eum juvare debet. per l. 1. §. 27. & seqq. l. 3. §. 10. l. 19. ff. de SCto Sillan.* Curt. *n. 11. per* Gloss. *ad t. 5. F. 1.* Roschn. *c. 10. conclus. 16. n. 25.* (g) *ut servitium & auxilium vasalli ipsi nihil aut parum profuisset, aut vasallo aliàs pereundum fuisset, vitam enim suam saluti Domini postponere non tenetur,* Schenck. *ad d. t. 5. F. 1. n. 16.* Curt. Iun. *n. 8.* Vult. *d. n. 19. vers. ita si vasallus.* Zasius *p. 7. n. 83. & p. 10. n. 18.* Rosenthall. *c. 10. conclus. 16. per* Gloss. *in t. 13. F. 1.* (h) *Vel si ob hostium nimiam crudelitatem aufugerit.* Schrad. *p. 6. c. 6. n. 61.* Bocer. *th. 118.* Rittersh. *d. c. 5. n. 54. Verùm, quid si post fugam & desertionem, consilio mutato, vasallus redierit, & Domino auxiliatus fuerit? nihilominùs feudo privandum esse putamus; quia pœnitentia in delictis consummatis non habet locum.* Curt. *d. l. n. 12.* Rittershus. *n. 55. Idem obtinet, si in prælio manserit inspector, sed non pugnaverit* Sonsbec. *p. 12. n. 11. &* Schoner. *th. 107.* (i) *nimirum in offensivo; non verò in defensivo in quo non minùs tenetur Domino adsistere. pr. t. 28. F. 2. ibiq; Dd.* Curt. *n. 6.* (k) *Modo id non importunè aut dolosè fiat, aliàs ad interesse præstandum Domino tenetur.* Mozz. *c. ult. n. 98.* Rosenthall *d. concl. 16. n. 28.* Bocer. *th. 120.* Schrad. *d. c. 6. n. 87.* Schon. *th. 113.*

XLIIX.

Domino justitiam denegans. 7. Si vasallus *justitiam Domino facere neglexerit:* (*a*) quæ verba triplicem recipiunt significationem; (*b*) nos hoc loco (*c*) per ea nil aliud, quàm judicialem contumaciam intellectum volumus, (*d*) ut, si vasallus juris sui de feudo experiundi causa à Domino citatus se sistere judicio noluerit. (*e*) 8. Feudo quoque privatur vasallus, si filium, aut alium quemvis domesticum, (*f*) â quo Dominus graviter offensus (*g*) sit, requisitus (*h*) ad Dominum non deduxerit, ut ipsi pro delicto commisso satisfieret; (*i*) hoc tamen non obtinet, si offendentem à se separare malit: (*k*) idem etiam observatur in *subvasallo* Dominum superiorem lædente. (*l*)

(a) *2. F. 24. §. 2. vers. illud tamen. 1. F. 6. ibi. ne sit ei in damno, de justitia sua, 2. F. 27. §. 2.* Jacobin. de S. Georg. *d. l. n. 24.*

Clarus

Clarus. q. 61. Curt. p. 4. n. 60. (b) *vid.* Rittersh. *d. c. 5. n. 63.* (c) *supra th. 27. inf. diximus, quòd vasallus feudo quoq; privetur, si activè Domino iustitiam administrare noluerit, de qua ingratitudinis specie vide plura apud* Rosenthall. *c. 10. conclus. 24.* (d) *quàm significationem cæteris omnibus hic præferendam ducit* Rittersh. *d. l. secutus* Hotomannum & Cujacium. (e) *2. F. 22. ibi. quod si neq; venerit ad tertiam vocationem.* Zas. *p. 10. n. 44.* Borcholt. *n. 109.* VVesenb. *d. c. n. 7. inf. subintelligendum hic est, si legitimam causam non habeat, & citatio, cæteráq; requisita ita se habeant, ut verè contumax dici queat: quàm variè autem contumacia committatur privatione feudi digna, plenius tradunt.* Schrader. *p. 9. c. 7.* Rosent. *c. 10. concl. 25.* Hartm. Pistor. *p. 2. q. 50.* (f) *Exceptâ uxore, quæ licet de offensâ Domino satisfacere nolit, tamen abdicari vel ad Dominum deduci non debet.* Sonsb. *p. 12. n. 60. ex* Baldo & Alvarotto. *in §. insuper 2. F. 55. arg. l. fin. §. f. C. de furtis, quoad filium autem non distinguunt, an sub potestate ad huc sit nec ne? modò is cum patre suo eandem domum inhabitet.* Vult. *d. c. 11. n. 24. versic. alterum. idem dicunt de legitimis & naturalibus tantùm.* Sonsbec. *d. l. secutus* Andr. de Isern. *in d. §. insuper.* (g) *modò tale sit delictum, quod in vasallo privatione feudi coerceretur.* Schrad. *p. 9. c. 7. n. 175. inf.* Schon. *th. 115.* (h) Schrad. *d. l. versic. penult.* (i) *text. in d. §. insuper. 2. F. 55. ibiq; interpretes communiter; sed si filius patri in eo restiterit, nec Domini arbitrio & iuri se submiserit, patre mortuo in feudum non succedit, nisi priùs satisfecerit Domino. d. §. in super. 2. F. 55. & vers. 2. 2. F. 51.* Zas. *p. 10. n. 57.* Duaren. *c. 14. n. 20.* Oldendorp. *de act. benef. in pr. intent. Act. 3. art. 23.* Rittersh. *n. 64.* (k) *cum electio penes vasallum est.* Vult. *d. l.* & Rosent. *c. 12. conclus. 2. n. 1. per expr. text. in d. §. insuper.* (l) *in inf. d. §. insuper.* Sonsbec. *d. l. n. 61. & sic uterq; feudo cadit: in hoc casu tamen arbitrio superioris domini relinquitur, an lædentem subvasallum requirere, vel ad privationem agere malit.* Rosent. *d. c. concl. 10. n. 8. & seqq. ubi text. cit. explicat, & conciliat.*

XLIX.

Atque hæc de frequentioribus culpis, & expressis Feloniæ speciebus dicta sufficiant. Nunc quibus modis ipse Dominus jure suo proprietatis cadat, addendum sequitur. Sciendum itaque est, quod *ex iisdem ferè causis, propter quas vasallus*

Iisdem de causis Dominus proprietate cadit.

vasallus feudum amittit, ipse quoq; Dominus proprietate & dominio suo directo se indignum reddat; (*a*) in omnibus enim capitibus, ad quæ servanda se vasallus Domino juramento fidelitatis astrinxit; hic quoque vicem illi reddere tenetur; (*b*) quod ampliatur, licet non in ipsum vasallum, sed in alium peccaverit, (*c*) 2. sive feudum novum s. antiquum fuerit, (*d*) 3. sive etiam vasallus fidelitatem promiserit juratò sive non. (*e*) Quòd si verò sine causa juramentum recusasset vasallus, Dominus contra eum non committeret feloniam. (*f*)

(a) *2. F. 26. versic: committente Domino. ibiq; Dd. 2. F. 47. Qualiter Dominus proprietate feudi privetur? Et quemadmodum vasallus vel suâ culpâ feudum amittit vel sine eâ, ita quoq; Dominus proprietatē; & quidem non tantùm culpâ commissionis, si ex. gr. vasallo graves iniurias vel reales, vel verbales intulerit, ipsum prodiderit, accusaverit, cucurbitaverit, &c. verùm etiam omissionis, ut si iustitiam vasallo deneget,* Gl. *in vers. item qui Domino 2. F. 24.* Clarus *q. 68. vel à vasallo requisitus intra legitimum tempus eum investire detrectaverit. gloss. in f. t. 3. F. 2. ibiq;* Bald. Iac. de Belvis. Alv. *& alii.* Clarus *q. 49. n. 7.* Zas. *p. 10. n. 81. vers. deniq;* Borch. *n. 135.* Myns. *cent. 5. Obs. 65. n. 14.* Gail. *l. 2. obs. 50. n. 16.* Clarus *q. 49. n. 7. Si vasallum in magno periculo constitutum non defenderit: ob alienationem etiam proprietatis illicitè factam Dominum æquè ac vasallum feudo cadere communior Dd. sententia est. expr. text. in §. ex eadem 2. F. 34. & 2. F. 55. §. 1. in f.* Clarus. *q. 28. n. 3.* Schneidevv. *p. 5. n. 134.* Schrad. *p. 8. c. 1. n. 65.* Curt. Iun. *p. 6, in f. ex* Alvarot. *ad t. 22. §. si quis F. 1. Sine culpâ Dominus proprietatem amittit cessione, præscriptione, rei interitu,* Lindem. *d. disp. th. 48.* Ludvvel. *c. 8. & 18. de F.* (b) *quòd si non fecerit, meritò malefidus censetur. 2. F. 6. ideoq; Dominus vasallo coniunx & amicus dicitur. 2. F. 58. in f. pr. & nulla fraus, nec ullum malum ingenium inter dominum & vasallum intervenire debet. 2. F. 52.* Hanneton. *lib. 3. Feud. c. 17.* Curt. Iun. *p. 6. n. 1.* Duar. *c. 15. n. 8. Hinc communis regula est, quod vasallus & Dominus ad paria indicentur, vid.* Alvar. *n. 5.* Præposit. *n. 3.* Schenck. *in d. c. 6. F. 2. in vers. Dominus quoq;. add.* Rittersh. *lib. 2. tot. c. 7. ubi has causas specialiter enumerat, & accuratiùs quàm vulgò fieri soles pertractat.* (c) *si scil. crimen tale fuerit, quod vasallus amissione feudi luere teneretur.*

Per ex-

per express. text. 2. F. 26. §. Domino committente. in f. quod repetitur in t. 47. quod quamvis durum, Dominisq; terribile videatur, Baldus *in d. 6. F. 2.* Clarus *d. ll. tamen ita lex scripta est, ut loquitur.* Vlpian. *l. 12. §. 1. ff. qui & à quib. manumiss. vid. quæ allegat.* Schoner. *disp. d. 10. th. 126.* (d) Rittersh. *d. l. n. 1. ex* Rosent. *c. 11. conclus. 20.* (e) *sive iuratus sive iniuratus ex conventione scil. fuerit. d. t. 47. in f.* Zas. *p. 10. n. 80. & seqq.* (f) *in feudo nimirum pro quo aliàs iuramentum præstari solet, & debet.* Zas. & Alvar. *cit. ll.* Rosent. *d. concl. 19. n. 3* Schrader. *p. 3. c. 2. n. 10. & seqq.* Matth. Colerus. *de process. Execut. p. 1. c. 9. n. 69.* Sonsbec. *p. 13. n. 71. & 179.* Mynsing. *cent. 4. obs. 91. in f. Alium præterea Dd. ponunt casum, quo Dominus etiamsi feloniam admiserit, feudo non privetur: si nimirum de certâ pœnâ in investitura conventum fuerit, hoc enim casu ad istam pœnam potiùs agendum esse, tradit ex* Matth. de Afflictis. Rittersh. *c. 7. q. 5. eadem autem procedit exceptio in vasallo.*

L.

Quicquid autem ejus sit, de hodiernâ consuetudine plerumque mitiùs cum Dominis delinquentibus proceditur; (*a*) neque enim tam arcta est obligatio Domini erga Beneficiarum, quàm hujus erga Dominum: (*b*) hinc est, quod quædam Domino permittantur, quæ vasallo sub amissionis pœna denegata sunt. (*c*) Sic proprietatem suam pro modicâ pecuniæ summâ, ita ut facilè relui queat, oppignorare Domino licere, communiter existimant Dd. (*d*) Sic etiam Dominus proprietatem potest Ecclesiæ aut ad alias pias causas cedere invitô vasallo, modò huic æquivalens feudum aut pretium restituat. (*e*) Nec, ut vasallus facere tenetur, eidem fidelitatem juratò promittit. **Hodiè mitiùs cum Domino proceditur.**

(a) Rosent. *c. 11. d. conclus. 19. n. 9. & citati in gloss. lit. L. negari quidem non potest, quòd istiusmodi multa de facto iniustè fiant, & quòd Domini plerumq; potentiores legum ac iudiciorum telas, tanquam aranearum vespæ & crabrones, vi perrumpant, in quibus imbecilliores quasi muscæ & culices adhærescunt, ut loquitur* Rittersh. *d. c. 7. n. 1. Verùm tamen naturali æquitate inspectâ vasallus iniurias sibi à Domino illatas, nisi nimis atroces sint, ob beneficia eiusdem in se collata æquo animo potiùs perferre debebat, add.* Grot. *l. 2. c. 1. n. 9. de I. P. & B.*

 (b) *his*

(b) *hic enim ab illo nihil accepit, proinde faciliùs ius utile vasalli quàm Domini proprietatem committi, verius & aquiùs erit.* Rosent. *c. 11. conclus. 20. n. 10.* Vult. *n. 52. inf. d. c. 11.* Mozz. *c. ult. n. 122.* (c) *Et hoc quidem indubitatum est in iis, in quibus ratio diversitatis inter obligationem vasalli & Domini assignari potest: Dominus enim non tenetur vasallo reverentiam & obedientiam præstare, ut hic Domino feudi, ita hæc limitat* Schrader. *p. 6. c. 7. n. 13. & seqq. &* Schneid. *p. 5. n. 135. huc etiam quodammodo facit, quod plures sint causæ, ob quas parentes filios, quàm ob quas hi parentes suos exheredare possint. Nov. 115.* Baldus Alvarot. & Schenck. *in d. pr. 2. F. 55.* Clar. *q. 28. in f.* Borch. *n. 140.* Schneid. *p. 5. n. 133.* Rittersh. *d. l. n. 4.* (e) *qui illud tanquam novum ab Ecclesia non recepit. 2. F. 54. v. supra th. 10. lit. D.* Sonsbec. *p. 13. n. 183.* Schoner. *d. l. th. 133.* (f) Iacob. de S. Georg. *d. l. n. 16.* Clarus. *q. 70. & Dd. præcit.*

LI.

Qua ratione & modo feudum amittatur?

Circa memoratas causas inprimis hoc observandum est, quod ob eas neq; Dominus, neque vasallus feudo & jure suo priventur, nisi culpâ per quinque testes omni exceptione majores legitimè convictâ, atque sententia subsecutâ; *(a)* quod obtinere statuimus, etiamsi ipso jure feudum commissum, *(b)* & delictum notorium sit: *(c)* In casibus, tamen ubi feudum ipso jure amissum dicunt, sententiâ saltem declaratoriâ delicti & pœnæ commissæ opus est, *(d)* nisi possessor spontè possessionem Domino relinquat: *(e)* in cæteris autem casibus omnibus post causæ cognitionem sententia condemnatoria ad privationem necessariò requiritur. *(f)*

(a) *per expr. iuris textu. 1. F. 21. pr. ibi. culpâ cognitâ. & 1. seq. versic. f. ibi. nisi convictâ culpa &* Gothofr. *lit. E. 2. F. 26. vers. vasallus si feudum. 2. F. 28. vers. Ad hæc 2. F. 57. quot sunt testes necessarii? in f. ratione ex l. 13. §. 3. ff. de usufr. & l. 176. d. R. I. deductâ, iunctâ l. 13. ff. quod met. caus. & l. 7. C. unde vi. quodeo evidenter etiam probatur, quod toties in iure feudali laudamenti & iudicii parium mentio fiat: & aliàs tralatitium in iure est: neminem res suas ab alio possessas aut detentas propriâ authoritate, nisi dominium suum amittere malit, extorquere posse, sed ad eas consequendas iudicio & actione opus esse.* Rittersh. *lib. 2. c. 6. n. 16. & seq. & Dd. communiter, in l. 3.*

in l.3. C. de pignor. (b) *Quibus autem modis ipso iure dicatur feudum amitti, tradit* Schoner. *d. disp. 10. th. 138. & seqq.* Rosenthall. *c. 10. conclus. 41.* (c) VVesenb. *n. 9. c. 15. ex* Schurff. *consil. 27. cent. 1. nam ubi ministerium requiritur in privando, notorium pro sententia non habetur, ut tradit ex* Baldo *in c. 47. F. 2. n. 1.* Rosent. *d. l. & in gloss. lit. B. ubi plures alios pro hac sententia allegat.* (d) *scil. ad avocandam possessionem, quae à iure, quod vasallus perdidit, est diversa.* Gail. *2. obs. 51. n. 1. & lib. 2. c. 3. n. 10. de pac. publ.* Iacobin. *super. d. verb. dilliq; vasalli n. 9.* Zas. *p. 10. n. 73.* Borcholt. *c. 8. n. 157.* Curt. Iun. *p. 4. n. 155.* Clarus. *q. 62.* Schrader. *2. p. 9. p. pr. sect. 8. n. 48. & seqq.* (e) Zas. *d. l. quem sequitur,* Vult. *n. 57. in f. Excipiunt praeterea etiam casum iniustae alienationis.* Duar. *c. 15. n. 5.* Clar. Borcholt. Zasius, *& alii crimen laesae Maiestatis.* Curt. *d. l. &* Borch. *n. 156. si ita inter Dominum & vasallum expreßè convenerit* Vult. *n. 60. Verum cum hae & similes exceptiones falso praesupposito nitantur, & nusquam in iure sint expreßae, tutius erit, eas sub regula relinquere. arg. l. 4. §. 1. in f. ff. de hered. instit.* Rosenthall. *d. l. n. 3. & seq.* (f) Sonsbec. *p. 13. n. 74. & 187. & praecit. Doctores.*

LII.

Caeterùm notatu quoque dignum est: quod ea, quae de amissione feudi diximus, locum non obtineant, quando delicti commissi *remissio ritè facta* fuit. (*a*) Id autem à Domino, qui liberam suorum bonorum administrationem habet, sciente & volente fieri posse, nemo ferè est, qui dubitet. (*b*) modò per hujusmodi remissionem Dominus sibi ipsi, non alijs quorum interest, & quibus in feudo ita commisso jus successionis statim quaesitum fuit, praejudicet. (*c*) Remittitur autem felonia vel expresse, pacto, transactione, aut simili modò, & ita quidem quaevis admissa. s. praeterita, non verò futura: (*d*) vel tacitè, per actus istiusmodi, qui animum Domini reconciliatum arguunt. (*e*)

Remissione factâ feudum non amittitur.

(a) *de quo latè tractat* Schrader. *2. p. 9. p. pr. sect. 14. n. 22. & aliq. seqq. ubi alios allegat.* (b) *quoniam quilibet suarum rerum moderator & arbiter est. l. 21. C. mandati. & quisq; favori pro se introducto potest renunciare; nec datur regressus iis, qui iuri & actionibus suis renunciaverunt, arg. l. 29. C. de pactis, §. 12. I. l. 11. §. 1. ff. de iniur. l. 37.*

 pr. ff.

pr. ff. de minor, l. 98. §. 8. ff. de solut. vid. Ros. *concl. 58. & seq.* Schrad. *d. l. n. 37.* (c) *in iis videlicet casibus, ubi feudum per feloniam apertum ad proximos delinquentis agnatos, non verò ad dominum pertinet, qui si in remissionem non consenserint, hâc non obstante tale feudum repetere iure possunt: text. in t. 31. F. 2. arg. l. 11. l. 74. & 145. ff. de R. I. iunctâ. l. 54. nemo plus. eod. quod pleniùs persequitur.* Rosent. *d. c. 39.* add Schoner. *th. 143. ubi plures cit. Rectè autem Dominus inferior, etiam superiore invito, delicta in se vel extraneos commissa remittit: superior tamen in inferioris Domini praeiudicium feloniam regulariter remittere non potest, obligatus enim est huic ex contractu, ne ullo modo feudum imminuat.* Rosent. *d. conclus. 38. n. 68. Nec per restitutionem Principis ex mera gratiâ factam feudum recuperatur.* Schon. *lib. 1. disp. ult. th. 71. & seq.* Gothofr. Ant. *d. disp. th. fin. lit. B.* Gail. *2. de pac. publ. c. 19. n. 4. & 11.* (d) *Intelligendum hoc est de delictis commissionis; nam pactum de his non vindicandis contra bonos mores est, & delinquendi occasionem praebet. l. 23. ff. de R. I. l. 27. §. 4. ff. de pactis. l. 5. ff. de pact. dotal. de culpis omissionis autem talis remissio in futurum benè subsistit.* Rosent. *c. 6. concl. 23. & c. 10. concl. 14. n. 9.* Vult. *c. 11. n. 62.* (e) *ut si post caducitatem sibi non incognitam vasallum de novo investiat, eum ad servitia vocet, vel ab eo eadem recipiat; item si familiariter cum ipso conversetur, eumq; in possessione feudi relinquat.* Rosent. *c. 10. concl. 40. n. 49. & seqq.* Curt. *p. 4. n. 52.* Schrad. *p. 6. c. 2. n. 79.* Vult. *n. 65. quod idem obtinere putamus, licet Dominus expressè, tales actus sine suo praeiudicio fieri debere, protestatus sit.* Borcholt. *c. 8. n. 27.* Vult. *n. 65.*

LIII.

Morte alterutrius remissa censetur felonia. Tacitè quoque injuria per Feloniam commissa, *remissa* censetur, *si ante, quâm Dominus de ea conquestus fuerit, mors alterutrius, vel vasalli vel Domini intervenerit,* (*a*) ita ut actio Privatoria inde aliàs competens nec contra hæredes amplius intentari queat, (*b*) nec hæredibus ullum jus experiundi & privandi supersit; (*c*) etiamsi ipso jure feudum sit amissum: (*d*) quod tamen non procedit 1. Si culpam commissam in vita sua vel 2. vasalli Dominus ignoraverit. (*e*) 2. Vel licet sciverit, morte tamen citâ, alijsvè modis impeditus conqueri non potuerit. (*f*) 3. Vel si Dominus in possessione feudi, & ita exceptione tutus sit. (*g*) 4. Vel si qualicunque modo Dominus privandi animum ante alterutrius obitum declaraverit. (*h*), (a) Glossa.

(a) Glossa. & *Dd. in t. 55. F. 2. §. f.* Mynsing. *C. 3. O. 97. n. 3.* VVesenb. *c. 15. n. fin.* Sonsbec. *p. 12. n. 31.* Zas. *p. 10. n. 76. in f.* (b) *ratione ex iur. civ. desumtâ, quod scil. hac actio pœnalis sit, & ad vindictam tendat, quod genus actionum contra heredes regulariter non competit. l. 1. ff. de priv. del. §. 1. I. de temp. & perpet. act. l. 111. §. 1. de R. I. l. un. C. ex de l. def. in quant. hered. conv. l. 10. §. 2. si quis caut. l. fin. & l. 7. C. de revoc. donat.* (c) Clarus. *q. 64.* Curt. Iun. *p. 4. in f. Actio etenim ad privationem feudi non est transitoria, nisi hoc Dominus voluerit & se velle declaraverit; in dubio autem & hic lex præsumit in partem mitiorem, quod scil. remiserit.* Rosent. *c. 10. concl. 40. n. 38. & seq.* & Schrad. *p. 2. p. 9. pr. sect. 10. n. 5. & aliq. seqq. Et huc pertinet regula iuris: quod defunctus ulcisci noluit, id eius successor ut remissum persequi nequit, qua habetur in d. l. f. C. de revoc. donat. ibiq. Dd.* (d) Clarus *d. l. n. 2.* Hartm. Pist. *lib. 1. q. 35. ubi contraria doctè refutat.* (e) *vel iusto aliquo errore ductus fuerit, vel etiam si dubitaverit.* VVesenb. *d. l.* Vult. *n. 64.* (f) Schrad. *d. sect. 10. n. 9. vers. secundò* Zas. *d. n. 76. in f.* Borch. *c. 8. n. 155.* (g) Rosent. *d. concl. 40. n. 2. ubi addit rationem, quod ius excipiendi perpetuum sit, & heredibus quoq; competat, ut & in heredes, per l. 6. C. de Except. & præscript. ibiq.* Gloss. *in verbo præfinitione. l. 5. §. fin. ff. de doli except.* Curt. Iun. *d. l.* Schrad. *d. l. n. 14.* (h) *vasallum in iudicium citando, litem contestando, aliis feudum appropriando, se ad querelam præparando, aliisvè modis.* Rosent. *d. concl. n. 37. & 49.* Clarus *d. q. 64. in f.*

LIV.

Tantum de varijs modis, quibus feuda legitimè constituta rursus amittantur, materiâ satis diffusâ atque intricatâ, hâc vice delibare placuit. Nunc consequens est, ut ad alterum thesium nostrarum membrum, ad *quos nimirum feuda ita amissa & aperta rursus devolvantur & revertantur*; accessum quoque faciamus; quam doctrinam, VVesenbecij ductum sequentes, unâ atque alterâ regulâ comprehensam & adhibitâ distinctione, utrum vasallus vel Dominus feloniam admiserit; & in illo iterum, an Feudum novum aut antiquum fuerit, culpâ vasalli, vel sine eâ amissum, paucis quoque perlustrabimus.

LV.

Ad quem Feuda morte, Refutatione, & Præscriptione

amissa.

amissa revertantur, supra dictum est. (*a*) Cæteris casibus, quibus citra vasalli culpam, utpute Religionis ingressu, & inhabilitate serviendi feudum aperitur, si feudum antiquum fuerit descendentibus, vel his deficientibus proximis agnatis, si verò novum, Domino indistinctè applicatur exclusis filijs, (*b*) nisi horum intuitu quoque concessum fuerit. (*c*) Ea autem Feuda, quæ temporis lapsu exspirant, ad ipsum Dominum indubitatò relabuntur. (*d*)

Feuda sine culpa amissa ad quem devolvantur.

(a) *th. 4. 8. & 9. add. quæ habet* Schoner. *disp. 11. th. 2.* (b) Zas. *p. 10. n. 90. & 91. ex* Alvar. & Isern. Rittersh. *c. 6. n. 20.* Schon. *d. l. th. 25. & seq. per text. in 2. F. 36. & 2. F. 21. ibiq;* Gothofr. *& alii* (c) Clarus *q. 66 n. 4.* Rittersh. *d. l. n. 19.* Schon. *d. disp. th. 4. lit. A. ubi pl. cit.* (d) *supra th. 7. per t. 11. F. 1. & 105. F. 2.* Rosent. *c. 7. concl. 23. & seq.* Moz. *c. f. n. 4.*

LVI.

F. Novum quàvis culpâ amissum redit ad Dominum.

Feudum Novum quâvis vasalli culpâ sive in Dominum sive in extraneum perpetratâ, sive commissionis sive etiam omissionis, amissum, exclusis tàm filijs (*a*) quàm agnatis (*b*) ad Dominum regulariter devolvitur. (*c*) Idq; non tantum in feudo simpliciter concesso, (d) sed etiam in eo quod pro se & liberis datum est, procedit. (*e*) Si verò æquè principaliter filio vel etiam fratri ejusvè filijs tale feudum simul concessum sit, (*f*) parentis vel fratris delictum, qualecunque fuerit, ipsis in jure suo quæsito non præjudicabit; (*g*) uti nec tum, cum vel expresse vel tacitè ab initiò sive postea transactione & remissione conventum sit, (*h*) aut consuetudo loci ita ferat, (*i*) ne filius vel agnati ob primi acquirentis culpam priventur.

(a) *Rationem vide in th. seq.* (b) *hi enim nec aliàs in feudo novo succedunt, nisi ex pacto. 2. F. 11. 1. F. 14. §. f.* (c) *§. f. 2. F. 24. vers. si vasallus culpam. 2. F. 26. 2. F. 37. 2. F. 44. vers. callidis 2. F. 55.* Curt. *p. 5. n. 2. & 9.* Clarus *d. q. n. 2. & 5. & Dd. comm.* (d) *quod Feudistæ alias informe vocant.* (e) *Hi enim in eo nullum ius habent, præterquam quod iuri patris annexum, eiq; inseparabiliter coniunctum est; quapropter non mirum, quod hoc sublato principali, illud quoq;, quod per consequentiam tantùm acquisitum intelligitur, exstingua-

stinguatur. Vid. omninò Rosent. *c. 11. concluf. 1. eiusq; allegata in lit. C. & c. 9. concluf. 65. n. 2. & seqq. Fachin. contr. iur. l. 7. c. 23.* Hartm. Pistor. *p. 2. q. 16. n. 16. n. 5.* Gail. *l. 2. c. 13. n. 10. & 5. it. c. 19. n. 33. de pac. publ.* VVesenb. *c. 6. n. 2.* Zas. *p. 10. n. 100.* Vult. *c. 11. n. 70.* (f) *Veluti si ab initio sibi ipsi acquisivissent simul, sive à patre acquisitum expreßè ratificassent.* Baldus & Alv. *in §. si vasallus 2. F. 26.* Mynsing. *obs. 85. cent. 4.* Gothofr. Ant. *disp. Fend. 12. n. 1. lit. E. per l. 4. C. de donat. qua submod.* (g) *quamvis sub conditione successionis id constitutum sit, modò constet mentem concedentis talem fuisse; quod in dubio non præsumitur, nisi per expressa nomina, non minùs quàm ipse parens vocati fuerint, quod authoritate.* Isern. Alvar. Iacob. de S. Georg. Mascardi, Menoch. *probat.* Gothofr. Ant. *cit. l. Add.* Borcholt. *c. 8. n. 42.* Rosent. *c. 9. concluf. 66. n. 9. c. 10. concl. 38. n. 37. & c. 11. d. concluf.* (h) *vid. supr. th. 51.* Rittersh. *n. 30. c. 6.* Vult. *n. 84. circa f.* Moz. *n. 39.* (i) *quam circa hæc diligenter observandam esse, cùm in multis locis benignitas huic juris rigori præferatur, monet* Rosent. *d. c. 11. concluf. 3. n. 4. & 5.*

LVII.

In *Feudo antiquo* porrò distinguendum est, utrum culpa in ipsum Dominum, an verò in extraneum commissa sit, *(a)* priori casu feudum apertum ad ipsum Dominum, *ut hanc saltem habeat iniuriæ sibi illatæ ultionem*, revertitur, *(b)* & quod filij, & omnes delinquentes in perpetuum à feudo ita commisso excludantur tàm ratione *(c)* & ipso jure *(d)* quàm plerorumq; Dd. authoritate *(e)* satis comprobatum est. An autem idem ratione agnatorum procedat, difficillima & maximè controversa quæstio est; alij tale feudum commissum agnatis proximis; *(f)* alij contrà Domino ijs prorsus exclusis tribuunt; *(g)* alij mediam & æquiorem *(h)* sententiam amplectentes distinguendum censent, an feudum ita commissum Pactionatum, *(i)* an verò Hæreditarium *(k)* sit, & quod in hoc felonia istiusmodi etiam agnatis perpetuò, *(l)* in illo verò non nisi revocabiliter, h. e. quamdiu vasallus delinquens ejusque descendentes masculi vivant, noceat. *(m)*

In F. Antiquo dist. an culpa in Dominum vel aliter commissa sit.

(a) *vid. supra th. 16. & 29.* (b) *per expr. text. in vers. his omnibus 1. F. 5. §. fin. 2. F. 24. §. si vasallus 2. F. 26. 2. F. 37. in f.*

& alibi

& alibi passim. Defertur autem feudum ita commissum Domino immediato, non superiori, & si immediati plures sint, ei, in quem delinquitur, & quidem pro portione suâ. Rosent. *c.11. concl. 18.* (c) 1. *Ea enim conditione & lege debentur successoribus feuda, si vasallis culpa non committantur, & Domino aperiantur, quod innuit textus, in §. d. fin. 2. F. 24. ibiq;* Isern. *& alii Dd.* Duaren. *c. 17. n. 2. nec valet hic regula, quod is, qui contrahendo alicui praeiudicare non possit, nec etiam delinquendo praeiudicare queat.* Rosent. *d. p. conclus. 2. n. 5.* 2. *nec alicuius momenti esset privatio, si in stirpem eius, qui amisisset, rediret feudum* VVesenb. *c. 16. n. 2.* 3. *quia in his quoq; paterni criminis exempla, & vindicandi cupido metuuntur. arg. l. 5. C. ad l. I.M.* 4. *tum ut charitas liberorum, quos non minùs quàm se ipsos suae infidelitatis poenas perpetuò luituros prevident, Dominis suis fideliores reddat parentes.* Rittersh. *c. 6. q. 28.* Boc. *th. 139. arg. l. f. C. de cur. fur. l. 8. ff. quod met. caussa.* (d) *text. in d. versic. si vasallus culpam 2. F. 26. & alibi passim* (e) Gloss. *in d. versic. &* Alvar. Isern. Afflict. *& alii* Zas. *p. 10. n. 101.* Curt. *p. 5. n. 2.* Arum. *disp. 8. th. f. &* H. Pist. *lib. 2. q. 16.* (f) *simpliciter scil. Domino excluso.* Isern. *in d. §. deniq; n. 49.* Clar. *in f. q. 66.* VVes. *c. 16. n. 2. & alii quos citat.* Vult. *n. 71. vers. disertè.* (g) *Atq; horum sententia de rigore iuris verissima videtur; per text. expr. in d. §. deniq; 2. F. 24. in f. pr. 2. F. 37. 1. F. 5.* Iacob. de S. Georg. *d. l. n. 58.* Curt. *p. 5. n. 1. & seq.* Zas. *p. 10. n. 101.* Schneid. *p. 8. d. n. 4.* Duaren. *c. 17. n. 2.* Schenck. *ad d. §. f. n. 1.* Rittersh. *c. 6. n. 28.* Goedd. *disp. 9. th. 10. lit. C.* Vult. *n. 71. vers. priorem* (h) *Nimis enim inhumanum fore videtur, si ob delictum tertii, iure suo, quod à delinquente causam non habet, agnati prorsus privari deberent.* (i) ein alt Vätterlich Stamlehen. *Feudum antiquum ex pacto & providentia primi acquirentis posteris & progeniei ab initiò concessum, sive in quo beneficio prima investitura, non mediante successione agnatis ius quaesitum est.* Rosent. *c. 11. concl. 5. n. 1. & 13.* Curt. Iun. *p. 5. n. 6.* (k) ein Erblehen / *pro se & heredibus acquisitum, quod non ex suo iure, sed mediante successione & tanquam heres proximus vasalli defuncti acquirit. Add. Cl. Dn.* Hahnij, *Praeceptoris mei pl. honorandi Not. ad VVesenb. in tit. de Constit. Princ. n. 2. p. 93.* Clarus *tamen q. 66. n. 7. in f. per ib. cit. idem obtinere vult. in feudo infirmi.* (l) *Si quidem ad hoc nemo venire potest, nisi ultimo vasallo heres sit, ac pro-*

ac propterea factum eius praestet. vid. Rosent. *c. 11. concl. 4. n. 11. concl. 8. n. 6. 7. & c. 2. concl. 33.* (m) *ut scil. feudum cum omnibus fructibus penes Dominum maneat, delinquente verò & eius descendentibus defunctis tandem rursus ad agnatos simultaneè investitos redeat. per text. expr. 2. F. 78. & 98. arg. 2. F. 40. in f. & hanc sent. simpliciter de omni feudo tenent.* Alvar. *in §. deniq;* Arum. *disp. 8. th. 29.* Bocer. *th. 143. & seq.* G. Obrecht. *disp. F. 11. th. 74.* Hartm. Pist. *l. 2. q. 15. n. 32. usq; ad f.* Borcholt. *n. 150.* Vult. *d. l. ubi plures allegat, & rationem hanc addit: quod ita Dominus iniuriae suae ultionem habeat, nec agnatis de iure suo quicquam decedat.*

LIIX.

Porrò qualicunque modo, *sive committendo sive etiam omittendo* felonia in Dominum commissa fuerit, dicta procedit assertio; nec arridet eorum opinio, qui in casibus omissionis, & inprimis neglectae investiturae, mitiùs cum delinquentis successoribus procedendum statuunt: *(a)* Rectius autem excipitur feudum prohibitâ alienatione amissum; quod si quidem novum fuerit, Domino indistinctè: *(b)* si verò antiquum filijs vasalli, modò de patris haereditate nihil participent, vel, his deficientibus proximo agnato cedit. *(c)* Idem iuris his manet, licet cum consensu Domini alienatio facta fuerit. *(d)* Nec hic dist. inter culpã omiss. vel commissionis.

(a) Alvar. *in t. 21. F. 1. n. 15.* Isern. Schenck. Curt. *inter feudum novum & antiquum frustra hic distinguentes, quos citat & refutat.* Sonsbec. *p. 13. n. 13.* Borch. *d. l. n. 141.* Pistor. *q. 18. n. 5. & seqq.* Rittersh. *c. 6. v. 22. per vers. praeterea si, in pr. 2. F. 55.* Schoner. *disp. 11. th. 7.* (b) *& ita restringunt textus aliàs contrariantes 2. F. 55. in pr. vers. callidis. 2. F. 44. 2. F. 24. §. deniq;. 1. F. 5. vers. his omnibus.* Borch. *n. 142. & seq. & ex eo* Rittersh. *n. 25. & alii.* (c) *per versic. si fuerint 1. F. 5. & §. hoc quoq; 1. F. 8.* Schenck. *ad d. §. deniq; n. 5.* Zas. *p. 10. n. 94.* VVesenb. *n. 2. in f. & n. seq.* Myns. *C. 4. observ. 85.* Gail. *2. obs. 50. n. 11. & seq.* Curt. *p. 5. n. 11.* Rittersh. *n. 24. & seq.* Vult. *n. 77. &* Clarus *d. l. n. 7. ubi monent, hac ita obtinere in feudo ex pacto & providentia, non verò in infirmi aut haereditario. Paulò aliter, hac restringit* Pistor. *l. 2. q. 17. n. 13. usq; ad f. ut nimirum tale feudum quàm primum revertatur ad dominum, & apud ipsum, quoad vixerit alienans, maneat, eo verò mortuo ad proximum agnatum, nunquam ad filium*

 redeat,

redeat; cui applaudit Vult. *d. l. versic. cum autem inf. n. 78.* (d) *scil. in alienatione feudi antiqui, cui liberi & agnati suum consensum non adhibuerunt.* Borch. *n. 145. & aliq. seqq.* Vult. *n. 79. & seqq.* Mynſ. *d. l.* Rittersh. *n. 26. & seq. per text. in §. Titius filios 2. F. 26. qui monent, quod in tali casu filii adhuc vivo alienatore parente, refuso tamen emptori pretio; agnati verò post mortem demùm alienantis, sed tunc absq; refusione pretii feudum à quocunq; revocare possint.*

LIX.

Limitatur. Prædicta autem assertio de feudo ad dominum propter feloniam in eundem commissam devolvendo certis casibus limitatur, ut non ad dominum offensum, sed ad filios aut agnatos delinquentis statim veniat. Et huc quidem repetendæ sunt istæ limitationes, quas supra (*a*) in amissione feudi novi apposuimus, etiam ad antiquum applicabiles: præterea id procedere statuunt, 1. quando partem feudi patre adhuc vivo filij, ut etiam agnati proximi, & quidem beneficio investituræ possident, (*b*) aut feudum commune & individuum est. (*c*) 2. Item si Domini culpâ (*d*) & ipso assentiente in delictum incidit, (*e*) 3. ubi pater delinquens nondum in possessione, sed feudum adhuc penes avum est. (*f*) 4. Idem alij extendunt ad feuda ob insignia patris merita concessa. (*g*)

(a) *sub fin. th. 56. add.* Vult. *n. 21. vers. fit tamen, & Dd. ib. cit.* Schoner. *d. disp. th. 4. it. th. 15. & seqq.* Rosent. *c. 11. concl. 5. & 7.* (b) Vult. *d. l. inf. ex* Isern. & Mozz. (c) *& hoc maximè in feudis regalibus observatur.* Curt. *p. 5. n. 5. & 6.* Schon. *th. 16. lit. C. & ibid. cit.* (d) *ut si causam ac occasionem vasallo det, ut eum offendat, & ita feudum perdat.* Ardiz. & Alvar. *cit.* Zasio *p. 10. n. 101. inf. arg. l. 6. ff. de dol. except.* (e) *si studiosè in dominum, ut agnatos successione privet, delinquat.* Sonsbec. *p. 13. n. 6. vers. secundò.* Schneidevv. *p. 8. c. 2. n. 8.* Moz. *d. l. n. 39. vers. limit. quartò.* Gail. *l. 2. de pac. publ. c. 13. n. 18. vers. limit. tertiò.* (f) *maximè si vivo adhuc avo parens defunctus fuerit, & hoc etiam in feudo hereditario procedit* Rosent. *c. 11. concl. 6. hâc ratione, quod tunc filius non patri, sed avo iure proprio succedat. ibid. n. 2. & seqq.* Curt. Iun. *p. 5. n. 13.* Hartm. Pist. *q. 16. n. 33.* Sonsb. *p. 13. n. 38. & seq.* Schoner. *d. l. th. 4. lit. C. per l. 2. C. de lib. præterit.* (g) Schneidevv. *p. 8. c. 2. n. 11.*

LX. Quando

LX.

Quando verò ob delictum non in ipsum Dominum, sed in alium extraneum commissum (a) feudum aperitur, idipsum non ad Dominum, neque ad fiscum, nec etiam ad delinquentis descendentes, sed ad proximos ejus agnatos pertinet, (b) qui mortem delinquentis expectare non tenentur, sed statim post delictum perpetratum & subsecutam condemnationem feudum occupare possunt. (c) Non autem illi tantummodò, qui tempore commissi quarto vel ulteriori gradu delinquenti conjuncti sunt, (d) sed & proximiores, puta secundo vel tertio gradu, & hi quidem potius jus quæsitum in tali feudo habent. (e)

Ob [illegible] in extraneos commissum F. apertum ad agnatos devolvitur

(a) *vid. supra th. 39. & seqq. idem iuris est si vasallus se ipsum scelerate occidat.* Zas. *p. 10. n. 105. ex* Bald. & Alvar. (b) §. *deniq. 2. F. 24.* §. *si vasallus culpam. 2. F. 26. 2. F. 31. & pr. 2. F. 37.* Schoner. *th. 69.* Vult. *n. pen. neq. in publicationem bonorum regulariter feudum venit, nisi id disertis verbis exprimatur*, VVesenb. *n. 5 per citata ibid.* (c) *per text. citt.* Curt. *p. 5. n. 10.* Zas. *d. l. n. 104.* Moz. *d. l. n. 39. & 123.* Clar. *q. 66. n. 5.* Ritt. *n. 29.* Pist. *d. q. 15. n. 1. & seqq. ibiq. testatur, hoc unanimiter ab interpretibus doceri.* Rosent. *c. 11. conclus. 10. n. 2. & conclus. seq. it. concl. 8. n. 5. & in gloss. lit. E.* Vult. *n. 71. vers. quod si delictum,* (d) *nec obstat d. §. si vasallus culpa. & 2. F. 31. ut sibi persuasum pleriq. Dd. veteres habuerunt.* Duar. *c. 17. n. 3.* Curt. *d. l. n. 10.* Zas. *n. 104.* Sonsbec. *p. 13. n. 11.* Schenck. *in d. §. si vasallus. n. 2. & 3. qui hâc ratione nituntur, ut videlicet non minùs vindicta, quàm excessus memoria propagetur. per. c. quibusdam. X. de pœnis.* Borcholt. *n. 152. ubi plures citat. sed dicti textus non hoc volunt, quòd agnati intra quartum gradum constituti non admittantur, sed quòd etiam iis, qui quarto vel ultra istum gradum sunt, in feudum hodiè succedant; secus enim erat olim §. 4. 1. F. 1. & §. 1. 1. F. 8.* Alvar. *in d. §. si vasallus culpam.* Rosenthall. *c. 11. concl. 10.* (e) *ut hoc prolixè & solidè demonstrat.* Pistor. *d. q. 15. à n. 12. usq. ad. n. 20. quem sequuntur.* Vult. *d. l. vers. Nec opus est.* Bocer. *th. 146.* Arumæus. *disp. 8. th. 5. circa f. per text. expr. in d. §. deniq. ibi sed ad proximiores. item. 2. F. 37. ibi ad agnatum proximiorem.* Ludvvel. *in tract. Feud. d. c. circa f.*

LXI.

Cæterùm, si è converso Dominus Feudi ob aliquam cul- Domin.

pam jure suo proprietatis cadit, cui illa applicetur, variæ sunt Doctorum opiniones: (*a*) sed verior & receptior ea videtur, quòd dicto casu proprietas cum usufructu consolidetur, & vasallus plenum Dominium in re feudali consequatur, (*b*) sive in ipsum vasallú, sive in alios culpâ istiusmodi dominus admiserit: (*c*) Hoc tamen non incongruè ita limitatur, si illud feudum ex proprijs allodijs Dominus iste concessisset; (*d*) quòd si autem illud etiam jure feudali à superiore Domino haberet, huic idipsum applicandum foret, nisi adessent agnati simultaneè super isto feudo investiti. (*e*)

committ. feloniam proprietas ad vasallum pertinet.

(a) *Teste* Iul. Claro. *q.72.* (b) *per text. expr. vers. domino committente.2.F.26.ibiq;* Alvar. *n.3.* Schenck. *& alii. nec non hoc æquitati propter rationum identitatem consentaneum videtur, arg. t.6. in f. F.2.* (c) Baro Schenck. *d. l. n.1.* Sonsbeç. *p. 13. n. 71. & seq. ubi notat,* Alvarottum *contra sentientem errasse:* Rittersh. *c.7. n. 8. per expr. verba. cit. t. & t.47. ibi non habitâ distinctione &c. & gloss. ibid.* Borch. *n.153.* Obrecht. *disp. 11. th. pen. & ult. idq; obtinet, sive feudum novum, sive antiquum fuerit.* Gothofr. Ant. *disp. 12. th.5. lit. A.* (d) Zas. *p. 10. n. 83.* Baro Schenck *&* Sonsbec. *d. ll.* (e) *Horum autem conditio prior potiórq; est quàm Domini superioris; & hoc casu iuri quidem illorum præiudicare vasallus nequit, eximitur tamen à servitiis Domini delinquentis, arg. §. quod ergo. 2. F. 8.* Clarus *q.72.* Lindem. *disp.3. c. 11. th. 22.* Resent. *c. 11. conclus. 20. & 21. n. 2. & 3.* Schnobel. *disp. feud. pen. th. ult.* Gothofr. Ant. *d. l. ubi plures citat.*

LXII.

Ad quem fructus F. aperti pertineant.

Quid de fructibus & incrementis Feudorum apertorum obtineat, reliquum est, ut videamus; & iterum res distinctione expedienda erit. Quòd si enim feudum ex culpa vasalli amissum fuerit, omnes fructus exstantes, (*a*) tam naturales, quàm industriales (*b*) unà cum feudo, vel ad Dominum vel ad agnatum (*c*) transeunt; (*d*) imò etiam illos, quos statim à tempore commissæ culpæ percepit, aut percipere potuit (*e*) restituendos esse plerique asserunt. (*f*) In feudo verò sine vasalli culpâ amisso (*g*) de pendentibus (*h*) maximè controvertitur. (*i*) Nos non dubitamus communiorem & ipsis textibus approbatam sententiam amplecti, quæ inter anni tempora

distinguit;

distinguit; *ut si ante Kalendas Martias Feudum ita apertum sit, omnes illius anni fructus (k) ad eum, cui ipsum feudum applicatur (l) pertineant; si verò post Kalendas Martias talis casus eveniat, fructus usq; ad Augustum completum (m) ad vasallum & illius heredes allodiales transmittantur.*

(a) *Perceptos autem ante commissam Feloniam indistinctè suos facit ad exemplum usufructuarii & b.f. possessoris. l. 48. ff. de acquir. R. D. l. 25. §. 1. ff. de usur. nisi dolosè immaturos collegisset, feudo, priusquam maturuissent, commisso.* Schrader. *p. 2. p. 9. pr. sect. 3. n. 22. & aliq. seqq. arg. l. pen. ff. de us. & usufr. legat. & ibidem per reliqua citat.* (b) *omnis generis fructûs & utilitates ex feudo provenientes,* (c) *modò confestim feudum tale ad hunc transeat.* Bocer. *th. 151.* (d) *Recipiunt enim hoc casu Dominus & Agnatus, quod suum est, ideoq; etiam meritò fructus nanciscuntur, cum hi, licet sint maturi, nondum autem separati & collecti, pars fundi esse videantur. l. fructus. 44. d. R. Vind.* Zas. *p. 10. n. 74. per l. 2. ff. de usur.* (e) *honestè scil. arg. l. 33. l. 62. §. 1. ff. de R. V. l. 22. C. eod. l. 2. C. de fruct. & lit. exp.* Vult. *discept. Scholast. c. 20.* (f) *Licet Dominus nondum declarasset, quod velit vasallum privare feudo; neque hîc temporis habetur ratio circa fructus; quia statim post delictum commissum mala f. possessor esse incipit vasallus, qui nullos fructus suos facit, sed omnes restituere tenetur, vid. Dd. in §. 35. I. d. Rer. div. add.* Schrader. *d. l. n. 71. & 42.* Iacob. de S. Georg. *cit. l. n. 53. inf.* Borcholt. *c. 7. p. 2. n. f. vers. Sanè si vasallus ob delictum.* Hartm. Pistor. *lib. 1. q. 24. n. 53.* VVurmser. *t. de feudis. obs. 23. n. 2.* Schoner. *disp. 11. th. 40.* Rittersh. *n. 37. Diff.* Fachin. *l. 7. c. 94. existimans, vasallum non desinere fructus lucrari usq; ad declarationem, sive iudicis sententiam interpositam, cui adstipulatur* Ludvvel. *in feudi cap.* (g) *quòd ut plurimum fit morte vasalli ultimi illius lineæ sive progeniei cui feudum initio erat concessum.* (h) *Perceptos enim, ut & eos, qui solo separati, quamvis nondum reconditi sint, pleno iure retinet, arg. l. 25. §. 1. ff. de usuris.* (i) *Triplex ferè hâc de re Dd. opinio est, quarum duæ recensentur in §. consequenter. 2. F. 8. Tertia vult, fructus ultimi anni pro rata temporis inter Dominum & heredes vasalli dividi. arg. l. 7. §. 1. sol. matr. hæc fuit olim* Alexandri *in d. l. quem sequitur* Cujac. *ad tit. 30. lib. 4. F. add.* Rittersh. *n. 34.* (k) *Et*

sic et-

sic etiam fructus civiles, utputa mercedes locationum; quarum dies nondum cessit; idem extendunt ad alias etiam pensiones census, reditus, item ad pœnas, pecuniarias scil. Schrader. *d. l. n. 48. & seqq.* Pistor. *d. l. n. 57. & seqq.* Rosent. *c. 10. conclus. 42. n. 54. & seqq. sed* Vult. *d. c. n. 111.* Gothofr. Ant. *d. th. 6. lit. B. in f.* Fachin. *d. c. 96. quoad posteriores pensiones dissentiunt. Præterea hic notandum, quod, si fructus tales sint, qui non quotannis, sed quarto vel quinto quovis anno percipi solent, pro rata temporis distributio adhibenda sit.* Schrader. *d. l. n. 71.* (l) *Nonminus ad agnatum, si feudum ipsi aperiatur, quam ad Dominum arg. t. 45. F. 2. ibiq.* Gloss. Alvarott. *& alii.* Pistor. *d. l. n. 50. licet alii hoc casu iure civili standum, & fructus dividi pro ratâ malint.* VVesenb. *c. 9. & 10.* Schrad. *d. l. n. 82.* (m) *postea verò rursus domino deferuntur. 8. scil. illis integris mensibus usq; ad Kalendas Martias: rationem huius determinationis addit* Lindem. *th. 24. ex* Rosenthall. *n. 42. & seq. d. conclus. alias & firmiores addit* Ludvvel *præcit. l.* (n) *per text. expr. in d. §. his consequenter. 2. F. 28. & 2. F. 45.* Schenck. Alvar. Andr. de Isern. *in d. §. his conseq.* Zas. *d. p. 10. n. fin.* Sonsbec. *p. 10. n. 9. & præter præcitatos plures alii, quos allegat & sequitur* Gothofr. Anton. *d. l. lit. B. Hodiè in plerisq; Germaniæ locis ita observatur, ut, si vasallus decedat, postquam agri sati, rastrisq; & occis subacti,* wan die Egen das Land bestrichen/ *fructus inde provenientes non iis, quibus feudum aperitur, sed heredibus vasalli applicentur, idq; secundum dispositionem iuris Saxonici.* Schneid. *p. 6. t. pen. n. 30.* Pistor. *d. l. n. 72. & seqq.* VVesenb. *c. 9. n. 5.* Coler. *de process. Execut. p. 2. c. 3. n. 303.* Lindem. *disp. feud. 3. c. 11. th. 26.*

LXIII.

Meliorationes F. aperti ad quem pertineant.

Meliorationes & incrementa feudorum apertorum, eandem admittunt distinctionem; ut, si culpâ vasalli feudum sit amissum, ea omnia (*a*) lucro Domini vel agnatorum cedant; (*b*) quod si verò absque vasalli culpa feudum sit apertum, distingui iterum solet; an meliorationes istæ ex facto vasalli, an verò sine eo accesserint? priori casu omnes impensas cujuscunq; generis (*c*) fuerint, modò perpetuam feudi utilitatem respiciant, (*d*) licet incendio vel casu aliquo rursus perierint, (*e*) vasallo ejusque hæredibus restitui debent. (*f*) Nec cum

tum fructibus perceptis, *(g)* rectè tamen cum deterioratione factâ *(h)* compensantur: æstimatio autem facienda *(i)* est, non secundū tempus, quo factæ sunt, sed secundum tempus restitutionis; *(k)* quâ, simul & probatione, legitimè factâ *(l)* ei denique ad quem feudum devolutum est, electio relinquitur, vel æstimationem solvere, vel pati, si commodè possint, *(m)* ut auferantur. *(n)* Quòd si, absque ullâ vasalli industria & facto, feudo quid accesserit, si quidem evidens & separatum incrementum sit, Domino, sin verò latens, vasallo cedere volunt. *(o)*

(a) *Sive extrinseca sive interna, sive qualiacunq; sint, nisi magnis sumptibus fuerint comparata, & simul necessaria, aut post apertum feudum facta fuerint. arg. l. pen. ff. locati. & l. 38. ff. de hæred. pet.* Fachin. *d. l. 7. controv. c. 90.* Rosenthall. *c. 10. conclus. 43. n. 6. & 11. cum seqq. ubi* Schraderum *dissentientem declarat. Idem quoq; obtinet, si salvâ feudi substantiâ separari & auferri queant, ut iura & opera separabilia, arg. §. è contrario 2. F. 8. §. si vasallus. 2. F. 28. ibiq;* Baldus *& alii quos allegat & approbat* Rosenthall. *d. l. n. 6. & in gloss. lit. E. & F.* Lindem. *d. l. th. 32. arg. l. domum. 5. C. de R. Vind.* (b) *adeo, ut æstimationem & pretium eorum nec ipse, nec ipsius hæredes repetere aut deducere queant.* Sonsbec. *p. 15. n. 72.* Pistorius *lib. 2. quæst. 42. n. 29.* Schrader. *2. p. 9. p. pr. sect. 2. n. 16.* Vult. *d. c. 11. n. 114.* Schoner. *d. disp. th. 67. &* Rosent. *d. l. qui dicit, quod sic vasallus sæpè deterioris conditionis sit quàm m. fid. possessor. n. 4.* (c) *sive operâ & industria vasalli tantùm, sive etiam sumptibus sint factæ* Gothofr. Ant. *d. l. th. 7. & ab eo citati lit. A. & E. Excipiuntur tamen 1. Voluptuariæ, nisi sint inseparabiles & Domini voluntate factæ.* Schrader. *d. l. n. 75. 2. Nimis exiguæ, quæ cum utilitate perceptâ facile compensantur. arg. l. 7. §. Hactenus. ff. de usufr. l. 18. §. 1. ff. Commod.* Alvar. *in d. §. si vasallus 2. F. 28. 3. ut etiam nimis onerosæ. arg. l. 10. §. 1. ff. de neg. gest. l. 25. ff. de pign. act. nec enim in tantum onerandus est Dominus impensis, ut ob illarum magnitudinem feudum relinquere debeat.* Hartm. Pistor. *d. q. 42. n. 6. quæ autem tales sint, iudicis arbitrio relinquitur.* Menoch. *lib. 2. arb. iud. quæst. cas. 127. & 158.* Schrader. *d. l. n. 91. & 89.* Rosent. *d. l. n. 99. & seqq.*

seqq. (d) *quod pro communi regula observant Dd.* Bartol. Schenck. Schrader. Isern. Vult. *citati* Gothofr. Anton. *d. l. lit.* G. Schon. *th.* 43. (e) *arg. l. 8. ff. de pignor. act. d. l. 10. §. 1. ff. de neg. gest. add.* Schrader. *d. sect. 2. n. 27. & ibid. citata.* (f) *d. §. si vasallus. 2. F. 28. & §. è contrario 2. F. 8. ibiq; Interpretes. & Dd. præcitati Et quidem ante restitutionem vasallus iure retentionis contra quemcunq; uti potest, possessione autem traditâ competit ei condictio.* Rittershus. *in f. n. 38. ex* Schrad. *d. l. n. 49. & 34.* Vult. *n. 113.* (g) *nisi exigua, aut fructuum colligendorum causâ facta fuerint. arg. l. 7. §. fin. ff. solut. matrim.* Pistor. *q. d. 42. n. 20.* (h) Gothofr. Anton. *d. l. sub. fin. lit. G.* Schoner. *th. 56.* (i) *ab huius rei peritis. arg. Nov. 7. c. 3. §. scire autem. vers. quid autem.* Schon. *th. 59.* (k) Pistor. *d. l. n. 11. & seqq.* Schrader. *d. l. n. 102. per l. 61. de legatis, 1.* Rosent. *d. conclus. 43. n. 99. & seqq. qui id tamen limitat, ut non procedat, si deterioratio non suâ sed alienâ culpâ aut casu eveniat. per l. 24. §. fin. ff. l. 8. C. de pignor. Act.* (l) *Meliorationes autem semper ab eo, qui eas petit, probari debent, quia non præsumuntur.* Schrader. *d. l. n. 60. versu. & circa hanc.* Mascard. *vol. 2. de probat. conclus. 1040. n. 5. per l. 4. C. de edendo.* Gail. *l. 1. observ. 93. n. 8.* (m) *Non autem audiendus esset Dominus, qui hanc conditionem deferret hæredibus, ut adimerent id, quod ablatum nulli usui ipsis esse posset. arg. l. 38. ff. d. R. vind.* Pist. *d. q. 42. n. 9. & 25.* Rosent. *d. l. n. 107. 154. & 157.* Mozzius *de natural. Feudi. n. 136.* (n) Schoner. *th. 63. arg. d. §. si vasallus 2. F. 28. ibid.* Schenck. *n. 2.* Vult. *d. n. 113.* Clarus. *q. 88.* (o) *Quam sententiam communiter receptam testatur* Iul. Clarus. *d. q. 88. n. 3. qui tamen æquius putat, ut omne incrementum sine industriâ vasalli rei feudali accedens, quoad proprietatem, Domino acquiratur.*

T A N T V M.